B 12
6
183
BIBLIOTECA NAZIONALE
CENTRALE - FIRENZE

Jh
is Baptte
de
inis
08.



Digitized by Google



FIRENZE

Digitized by Google

Digitized by Google

FRIDERICI GIANNETTI

ALBIANENSIS S. T. D.

Ex Presbyteris Congregat. Ieſu Saluatoris Inſignis Colleg. Flor. S. Laurentij Canonici atque Academici Apathiſtæ

COSMVS PHILOSOPHICVS

SEV

ARISTOTELICAE PHILOSOPHIAE

Vniuerſalis

EXPLANATIO

In commodum ſtudioſę Iuuentutis edita.

Sereniſſimo Principi

COSMO III.

ETRVRIÆ MAGNODVCI

Dicata.

TOMVS PRIMVS

Logicam Complectens.

NAZIONALE CENT
FIRENZE

FLORENTIÆ

Ex Typogr. Sanctis Franchij 1681.

Sub Signo Paſſionis, de Superiorum Licentia.

B 12. G. 185

Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi

COSMO MEDICES

MAGNO ETRVRIAE DVCI

FRIDERICVS GIANNETTI
Fœlicitatem.

QVAS ſuſceptæ vitæ rationibus ad ductus communi ſtudioſæ Iuuẽtutis emolumẽto lucubrationes priuatim deuoueram, multoſquè per annos frequenti Auditorum conſeſſu, non inanis captandæ libidine gloriæ, ſed alienæ dumtaxàt vtilitatis procurandæ ſtudio

explanauerã, potentiſſime PRINCEPS, peruicere tandèm amicorum preces, vt in lucem edi tyronum commodo paterer. Quod profectò fieri paſſus numquàm fuiſſem, niſi operi tàm exiguo & obſcuro, authoritatem ſplendoremquè clariſſima patrocinij tui dignitas conciliaſſet, quæ ſicuti ſuo quaſi iure poſtulare videbatur, vt TE potiſſimum Patronum deligerem, ſic ampliſſima tua in me merita, vt TIBI optimarũ diſciplinarum Mecœnati dicarem, expoſcebant. Breuitatis amantiſſimus, aliqua, vel nullius vel minimæ vtilitatis, omnibuſque facilè obuia, conſultò prætermiſi, quòd breuiſſimam vitæ ſummam longa nimis verborum ambage inſtituendã minimè cenſui. Dialecticis metaphyſica miſcere non

placuit

placuit (vt apud nonnullos in more poſitum video) quòd hic non difficillima ſapientiæ penetralia recludere, ſed ad ſapientiæ limina facilē aditū aperire mens fuit. Munuſculum re quidem ipſa perexiguum eſt, ſed ſi voluntatis ſtudio penſetur, tuæ non impar eſt amplitudini, eorumquè vota, quibus morem gerere volui, abundāter exæquat. Excipe igitur hilari fronte, Sereniſſime PRINCEPS, tenuiſſimos ingenij mei fructus, eximio namquè humanitatis tuæ, tamquàm benigniſſimo Solis ſui radio fouente, maioribus in dies incrementis augendos confido.

LECTORI BENEVOLO

IN maxima nobiliſſimorum Virorum turba, qui eruditiſſimas de Philoſophia lucubrationes edidere, non quidquã noui afferre me poſſe putaui, ſed operę pretium me facturum exiſtimaui, ſi Auditoribus meis ad ea, quę cęteri ſcripsere, faciliùs penetranda perbreuem aditum aperire pro virili parte contenderem. Mihi etenim quindecim fermè annorum, quibus in frequentiſſimo Auditorum conſeſſu publicè docui, experimento compertum eſt, Methodi breuitatem claritatis luce non deſtitutam, Iuuenum animis, eximium eſſe ad optima quęque perdiſcenda, omneſque difficultates ſuperandas, incitamentum. Vtcũquè id prę ſtitero, ęqui boniquè conſules, Amice Lector, me non vt aliena damnarem, ſed vt propria meos edocens Auditores, ipsorum vſui, commodoquè conſulerem

ſulerem: feſtinantibus enim ad Theologiam, Medicinam,vel Iuriſprudentiā, quibus meorum pleriquè inhiant, compendioſa ſemita calcanda eſt, ne quàm pluribus litterarum ſtudijs vitam deſtinarunt, vna in Philoſophia conſumant.

DEFINITIONES

DESCRIPTIONESVE
Ex hoc I. Tomo in vnum collectæ

STVDIO

FRANCISCI CIONACCII
Sacerdotis Florentini
Et Auctoris quondam Diſcipuli.

QVÆ

RERVM INDICIS VICE
Defungi poſſunt.

Philoſophia

CErta & euidens cognitio rerum, quæ ad optimam humanæ vitæ morumquè rationem pertinent. 42.

Diuinarum humanarumquè rerum naturalis cognitio. 42.

Maxima animi perfectio. 43.

Sapientiæ ſtudium ſeù amor. 42.

Methodus

Vnus ex quatuor modis ſciendi. 49.

Sermonis ordo ad illuſtrandam veritatem accommodatus. 43.

Artis certis & inuariabilibus præceptis continetur. 43.

Prudentiæ continetur præceptis, quæ pro varietate perſonarum temporum & locorum variari debent. 43

Analytica ſeù *reſolutionis*, qua regredimur à compoſitis ad ſimplicia, à toto ad partes, à particularibus ad vniuerſalia, ab effectibus ad cauſas. 44.

Synthetica ſeù *compoſitionis*, qua progredimur à ſimplicibus ad compoſita, à partibus ad totum, ab vniuerſalibus ad particularia, à cauſis ad effectus. 43.

Habitus ſiuè *Facultas*

Qualitas facilitans potentiam naturalem ad operationem ſibi propriam difficilè mobilis à ſubiecto. 44.

Practicus, qui primò ad opus faciendum ordinatur. 57.

Speculatiuus, qui primò & per ſe ſiſtit in contemplatione veritatis. 58.

Vtens qualitas facilitans intellectum ad vſum, ideſt ad operationes rectas. 63.

Artis, per quem ex certis & infallibilibus præceptis aliquod opus efficere poſſumus. 45.

Ars habitus cum verâ ratione effectiuus. 45.

Primorum principiorum, quo quis in promptu habet prima principia. 45.

Prima principia veritates, quæ ſine diſcurſu & per ſolam terminorum penetrationem ſunt notæ. 45.

Prudentia habitus cum verâ ratione actiuus. 45.

Sapientiæ, per quem iudicamus de re-

bus per altiſſima principia. 45.

Scientiæ cognitio certa & euidens rei ſcibilis, vt ſcibilis eſt, per cauſam vel per effectum. 45.

Scientia euidens cognitio ſeu demõſtratio obiecti ſcibilis vt ſcibile eſt. 59.

Cognitio certa & euidens circa obiectum ſcibile, ſeu ſpeculabile. 157.

Obiectum

Id, circa quod facultas aliqua verſatur. 45.

Adæquatum, quod tantùm patet, quã tùm patet facultas. 46.

Inadæquatum, quod ad partem tantùm facultatis coextenditur. 46.

Attributionis complexum ex materiali & formali. 46.

Formale ratio, ſecundùm quam attingitur obiectum materiale. 46.

Materiale res ſeu materia, quæ attingitur à facultate. 45.

Specificatiuum, à quo facultates & habitus deſumunt ſuam ſpeciem ſeu naturam. 46.

Cognitio

Vitalis obiecti repræſentatio. 150.

Abſtractiua, quæ non tendit immediatè in obiectum vt exiſtens. 150.

Euidens, quæ repræſentat rem per ſe notam. 150.

Quæ repræſentat rem habentem con

connexionem intrinſecam euiden tem cum re per ſe nota. 150.
Intuitiua, quæ immediatè in ipſum obiectum tendit. 150.
Quæ iudicat obiectum actu exiſtere. 150.

Res per ſe nota

Quæ per ſolam terminorum explicationem comprehenditur. 150.

Motiuum ad aſſenſum

Euidenter cognita connexio rei per ſe notæ cum re repræſentata. 150.
Extrinſecum, quod extrà rem eſt. 151.
Intrinſecum, quod intrinſecam habet connexionem cum re cognita. 150.

Certitudo

Formalis firma intellectus adhæſio ad obiectum verum. 151.
Metaphyſica, quæ oritur ex aliquo principio metaphyſico. 151.
Phyſica, quæ oritur ex euidentia principij phyſici. 151.
Moralis, quæ nititur principijs prudentiæ. 151.
Obiectiua, per quam obiectũ opponitur contingentiæ. 151.
Quæ ita eſt, vt aliter eſſe non poſſit. 151.

Incertitudo

Expulſio certitudinis. 159.
Forma incompoſſibilis cum certitudine

dine. 159.

Negatiua per quam intellectus ex neutra parte habens rationes manet ſuſpenſus. 152.

Poſitiua, cum intellectus habens vtrinque rationes probabiles manet ſuſpenſus. 151.152.

Dubium

Formale cum intellectus habens vtrìquè rationes probabiles manet ſuſpenſus. 152.

Fides

Non eſt excluſiua euidentiæ, licèt importet obſcuritatem. 164.

Diuina ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. 164.

Opinio

Diſpoſitio ad ſcientiam. 163.

Firma intellectus adhæſio ad obiectum ex motiuo probabili. 152.

Propria firma intellectus adhæſio ad obiectum verum ex motiuo probabili. 163.

Impropria fluctuans intellectus adhæſio ad obiectum ex motiuo vtrinquè probabili. 163 & 152.

Pertinacia

Firma intellectus adhæſio ad obiectum falſum. 151.

Suſpicio

Dubium formale, quod, licèt intellectum

ctum ſuſpenſum habeat, tamen ipſum potiùs ad vnam quàm ad aliam partem inclinat. 152.

Intentio

Formalis prima cognitio directa, qua primò cognoſcitur obiectum ſecundùm naturam & prædicata, quæ ipſi competunt à parte rei. 33. 50.

Formalis ſecunda cognitio, qua cognoſcitur obiectum ſecundùm rationes quaſdam, quæ ipſi non competunt ex natura ſua, ſed ſolùm attribuuntur ab intellectu cognoſcente. 33. 50.

Obiectiua prima obiectum cognitum per primam intentionem formalem. 50.

Obiectiua ſecunda ratio cognita per intentionem formalem ſecundam. 51.

Logica ſeù *Dialectica*

Diſcurrendi facultas. 49.

Facultas directiua operationum intellectus. 3.

Facultas de rebus clarè & diſtinctè diſſerendi. 3.

Methodus artis. 43.

Rationalis philoſophia. 42.

Practica habitus effectiuus ſui operis cum verâ ratione, ideſt ex vi præceptorum infallibilium. 60.

Speculatiua clara & euidens cognitio obiecti ſcibilis ſeù ſyllogiſmi. 58.

Simplex

Simplex Apprehenſio

Prima intellectus operatio. 3.

Conceptus, quo intellectus nihil de re apprehenſa negat aut affirmat. 4.

Terminus

Pars extrema ſiuè extremum ſeù extremitas propoſitionis. 5. 17. & 18.

Complexus, qui ex pluribus conſtat. 115.

Incomplexus, qui ex vno tantùm conſtruitur. 115.

Medius id, quod aſſumitur ad probandum. 17. 18.

Prædicatum

Id, quod de alio dicitur. 5.

Propoſitionis maius extremum. 18.

Subiectum

Id, de quo aliud dicitur. 5.

Propoſitionis minus extremum. 18.

Signum

Id, quod per ſpeciem ſui, quam noſtris ingerit ſenſibus, rem aliam à ſe diſtinctam manifeſtat. 74.

Morale ſeù *ad placitum*, quod non ex ſe, ſed ex libera inſtituentis voluntate, rem à ſe diſtinctam manifeſtat. 74.

Naturale, quod ex propriâ natura, ſeù ex intrinſecis ſuis prædicatis, rem à ſe diſtinctam manifeſtat. 74.

Practicum, quod non ſolùm aliud à ſe diſtinctum manifeſtat, ſed cauſat. 74.

Spe-

Speculatiuum, quod purè aliud à ſe diſtinctum manifeſtat. 74.

Vniuerſale

Id, quod multis commune eſt. 75.

Quod in pluribus prædicari natum eſt. 80.

Quod pluribus naturâ aptum eſt ineſſe. 79.

Secunda ſubſtantia. 119.

Vnum aptum eſſe in multis & prædicari de multis vniuocè & diuiſim. 81. 102.

Compoſitum, quod pluribus vocibus exprimi poſcit. 75.

Simplex, quod vnicâ exprimi poteſt voce. 75.

In cauſando Vnum antè multa. 75.

In eſſendo ſeù *in prædicando* vnum in multis. 75.

In ſignificando ſeû *in repræſentando* vnũ poſt multa. 75. 76.

Singulare

Id, quod vni tantùm competit. 75.

Prima ſubſtantia. 119.

Vnum

Id, quod eſt indiuiſum in ſe & diuiſum à quolibet alio. 84.

Vnitas

Generica, per quam plura ſpecie diuerſa in vno genere conueniunt. 85.

Numerica ſeù *indiuidualis* ſiuè *hæcceitas*, quæ eſt principium numeri. 85.

Specifi-

Specifica, per quam plura ſolo numero diuerſa conueniunt in gradu ſpecifico. 85.

Prædicari ſeù *Prædicatio*

In quid ſeù *quidditatiuè*, cum prædicatum eſſentialiter ineſt ſubiecto. 100. 101.

In quale quid, cum prædicatum ineſt ſubiecto per modū formæ eſſentialis. 101.

In quale, cum prædicatum ineſt ſubiecto per modum formæ adiacentis ipſi. 101.

In quale neceſſariò, cum prædicatum per modum formæ accidentalis ipſi ſoli ſubiecto indiſpenſabiliter competit. 101

In quale contingenter, cum prædicatum per modum formæ accidentalis, ſeparabilis à ſubiecto & alijs communis conuenit. 101.

Genus

Vnum aptum eſſe in multis, & prædicari de multis differentibus ſpecie in quid incompletè genericè. 100. 101. 104.

Infimum, quod de ſolis ſpecie differentibus prædicatur. 105.

Intermedium, quod & ſuprà & infrà ſe aliud habet genus. 105.

Supremum, quod aliud ſuprà ſe non habet, ſed ipſi alia genera ſubijciuntur. 105.

Differentia

Per quam res differunt. 107.

Quæ cum genere conſtituit ſpeciē. 107.

Vnum

Vnum aptum eſſe in multis & prædicari de meltis differentibus ſpecie in quid incompletè differentialiter. 101. 105.

Eſſentialis, per quam res differunt ſecundum eſſentiam. 107.

Vnum aptum eſſe in multis, & prædicari de multis in quale quid vniuocè & diuiſim. 107.

Generica ſeù *ſubalterna*, quæ prædicatur de multis differentibus ſpecie in quale quid. 108.

Specifica ſeù *infima*, quæ prædicatur de multis ſolo numero differentibus. 107.

Species

Vnum aptum eſſe in multis & prædicari de multis in quid completè. 108.

Infima ſeù *athoma*, quæ de pluribus ſolo numero differentibus prædicatur. 108.

Subalterna, quæ de pluribus ſpecie differentibus prædicatur. 108.

Indiuiduum

Natura ſingularis. 109.

Prima ſubſtantia. 119.

Determinatum, quod nomine aliquo proprio exponi poteſt. 109.

Vagum, quod nomine appellatiuo exprimitur. 109.

Primò intentionaliter id, quod conſtat ex proprietatibus quarum collectio nunquã in aliquo alio eadẽ eſſe poteſt. 109.

Secundò intentionaliter id, quod de vno

tantum

tantùm prædicatur. 109.

Accidens

Vnum aptum eſſe in multis & prædicari de multis in quale. 101.

Proprium id, quod eſt extrà eſſentiam rei, ſed ipſam neceſsariò & inſeparabiliter comitatur. 110.

Vnum aptum eſſe in multis & prædicari de multis vniuocè & diuiſim in quale neceſſariò ſeu conuertibiliter. 110.

Primo modo, quod ſoli conuenit ſed non omni. 110.

Secundo modo, quod conuenit omni ſed non ſoli. 110.

Tertio modo, quod conuenit ſoli & omni ſed non ſemper. 110.

Quarto modo, quod conuenit omni ſoli & ſemper. 111.

Commune, quod neque ad eſſentiam, neque ad ſubſtantiam rei intrinſecè pertinet. 112.

Quod poteſt abeſse & adeſſe à ſubiecto ſinè ipſius corruptione. 111.

Vnum aptum eſſe in multis & prædicari de multis vniuocè & diuiſim in quale contingenter. 101.& 111.

Vniuoca ſeu *Synonyma*.

Quorum nomen commune eſt, & ratio eſſentiæ ſecundùm nomen eſt eadem. 112.

Æquiuoca ſeu *Homonyma*

Quibus nomen commune eſt, ſed ratio

tio eſsentiæ nomini reſpondens eſt diuerſa. 112.

Analoga

Quorum nomen commune eſt, ratio verò eſsentiæ partim eadem partim diuerſa. 113.

Attributionis, quæ dicuntur de pluribus cum ordine vel vnius ad alterum, vel plurium ad vnum. 113.

Proportionis, quorum nomen commune eſt ob ſimilitudinem rationum ad diuerſos terminos. 114.

Proportio

Arithmetica ſeù *perfecta*, cum inter plures quantitates reperitur idem internallum ſeù exceſsus. 38. 114.

Geometrica ſeù *imperfecta*, cum inter plures quantitates non reperitur idem exceſſus ſeù internallum, ſed tantùm ſimile. 38. 114.

Denominatiua ſeù *Paronyma*

Quæ à priori aliquo vocabulo & ſignificatione deducuntur. 114.

Denominatio

Extrinſeca, quando forma denominans eſt extrinſeca ſubiecto denominato. 115.

Intrinſeca, quando forma denominans eſt intrinſeca ſubiecto denominato. 114.

Prædica-

Prædicamentum ſeù *Categoria*

Recta ſeries generum & ſpecierum ſub aliquo ſupremo genere contentorum de prima ſubſtantia prædicabilium. 117.

Subſtantia

Cuiuslibet rei eſsentia. 119.

Ens per ſe ſubſiſtens. 119.

Ens creatum per ſe completè ſubſiſtens. 119.

Quantitas

Accidens, per quod reſpondetur ad interrogationem quot vel quantum. 122.

Ratio, propter quam res æquales vel inæquales dicuntur. 123.

Continua, per quam reſpondetur ad quantum, eſt illa, cuius partes communi vinculo copulantur. 122.

Diſcreta, per quam reſpondetur ad quot, eſt illa, cuius partes communi vinculo non copulantur. 122.

Permanens, cuius omnes partes ſimul exiſtunt. 122.

Succeſſiua, cuius partes in fluxu ſunt poſitæ. 122.

Qualitas

Accidens abſolutum, quod ſubſtantiam determinat. 123.

Relatio

Habitudo vnius ad aliud. 123.

Actio

Forma accidentalis, per quam denominatur

minatur agens. 123.

Paſſio

Actus patientis vt patiens eſt. 123.

Vbi

Accidens, per quod res eſt formaliter in loco. 123.

Situs

Diſpoſitio partium corporis in ordine ad locum. 124.

Quandò

Accidens, quo res eſt in aliqua temporis differentia. 124.

Habitus

Accidens, per quod res denominatur formaliter veſtita. 124.

Iudicium

Actus componens aut diuidens. 130.

Actus intellectus coniungens vel ſeparans prædicatum à ſubiecto. 128.

Affirmatio vel negatio de re apprehenſa. 4.

Secunda intellectus operatio. 3.

Practicum obiecti menſura. 134.

Speculatiuum, quod menſuratur rei cognitæ. 134.

Propoſitio

Oratio affirmans vel negans. 5.

Oratio conſtans duobus terminis ſiuè extremitatibus ſeù extremis 17.

Affirmatiua, terminorum compoſitio. 134.

Negatiua

Negatiua terminorum diuiſio. 134.

Eſſentialiter vera, quæ ex vi ſuorum principiorum eſſentialiter exigit verificari. 137.

Neceſſariò vera vel *æternæ veritatis*, in qua prædicatum eſſentialiter connectitur cum ſubiecto. 138.

Contingenter vera, in qua, vel prædicatum non competit eſſentialiter ſubiecto, vel non nititur principijs, ex vi quorum petat neceſſariò verificari. 138.

Categorica, in qua prædicatum abſolutè dicitur. 6.

Hyppothetica, quando prædicatum dicitur de ſubiecto ex aliqua ſuppoſitione. 6.

Modalis, in qua exprimitur modus, quo prædicatum ineſt vel non ineſt ſubiecto. 6.

Indefinita, cuius ſubiectum eſt terminus communis nullo ſigno notatus. 7.

Particularis, cuius ſubiectum eſt terminus communis particulari ſigno notatus. 6. 7.

Singularis, in qua ſubiectum ſignificat vnum tantum. 7.

Vniuerſalis, cuius ſubiectum eſt terminus communis vniuerſali ſigno notatus. 6.

Copulatiua, cuius plura ſubiecta vel prædicata copulantur aliqua coniūctione. 8.

Diſiunctiua, in qua ponitur particula diſiunctiua. 7.

De ſecundo adiacente, in qua prædicatum non exprimitur, ſed continetur in verbo adiectiuo. 8.

De tertio adiacente, in qua prædicatum exprimitur. 8.

Identica, in qua ſubiectum & prædicatum eundem conceptum omnino ſignificant. 8.

Non identica, in qua ſubiectum & prædicatum ſignificant conceptum diuerſum. 8.

Antecedens, præmiſſa entymematis. 27.

Conſequẽs concluſio entymematis. 27

Maior, in qua maius extremum ſyllogiſmi ponitur. 18.

Minor, in qua minus extremum ſyllogiſmi ponitur. 18.

Præmiſſæ

Duæ præcedentes propoſitiones ſyllogiſmi. 19.

Sunt cauſæ concluſionis. 165.

Veritas

Qualitas propoſitionis. 5.

Formalis ſeù *logica* ſiuè *cognitionis* conformitas cognitionis cũ obiecto. 130. 131

Locutionis, per quam ſermo congruit rebus aut conceptui loquentis. 131.

Traſcendentalis, ſeù *rei* conformitas rei cum ſuis principijs intrinſecè conſtitutiuis. 130.

Falſitas

Propoſitionis qualitas. 5.
Diſtormitas cognitionis cum obiecto. 133.

Mendacium

Conſiſtit in affirmando quod non eſt aut negando quod eſt. 36.

Compoſitio

Iudicium affirmatiuum. 134.
Propoſitio affirmatiua. 134.

Diuiſio

Iudicium negatiuum. 134.
Propoſitio negatiua. 134.
Oratio, qua totum in ſuas partes diſtribuitur. 125.
Vnus ex quatuor modis ſciendi ad omnem veritatem rectè indagandam omninò neceſſarius. 49.

Definitio

Oratio explicans ipſũ quod quid erat eſſe rei. 124.
Oratio explicans eſſentiam rei. 124.
Vnus ex quatuor modis ſciendi ad omnem veritatem rectè indagandam omninò neceſſarius. 49.
Cauſalis, cum loco rei exprimitur cauſa ipſius. 125.
Deſcriptiua, quæ fit per enumerationem partium, proprietatum, aut accidentium rei. 125.
Phyſica, quæ per partes eſſentiales phyſi-

phyſicas, ideſt per materiam & formam conſtruitur. 125.

Metaphyſica, quæ conſtat gradibus metaphyſicis hoc eſt genere & differentia. 124.125.

Oppoſitio

Mutua repugnantia duarum propoſitionū ijſdem terminis conſtantium. 12.

Contradictoria per quam duæ propoſitiones repugnant in qualitate & quantitate. 12.

Contraria, per quam duæ propoſitiones vniuerſales pugnant in qualitate. 12.

Subalterna, per quam duæ propoſitiones affirmatiuæ vel duæ negatiuæ differunt in quantitate. 12.

Subcontraria, per quam duæ propoſitiones particulares ſunt vna affirmatiua & altera negans. 12.

Æquipollentia

Cum per additionē alicuius negationis propoſitio fit æquiualēs ſuæ oppoſitæ. 14.

Diſcurſus

Actus, quo intellectus vnum ex alio deducit. 4.

Tertia intellectus operatio. 3.

Argumentatio

Oratio, in qua vnum infertur ex alio. 16

Vnus ex quatuor modis ſciendi, ad omnem veritatē rectè indagandam omninò neceſſarius. 49.

Syllogiſmus

Argumentatio conſtans tribus propoſitionibus rectè diſpoſitis, ſecundùm terminos in figura & modo ſuæ figuræ. 16.

Argumentatio, in qua ex duabus præcedentibus præmiſſis neceſſariò ſequitur concluſio. 16.

Oratio, in qua quibusdam poſitis, neceſsè eſt aliud ſequi ex eo quod hæc ſint. 16.

Expoſitorius, qui conſtat medio termino ſingulari. 26.

Qui totam rem veluti ob oculos ponit. 26.

Figura Syllogiſtica

Collocatio medij termini cum extremis apta ad concludendum. 19.

Terminorum & propoſitionum apta inter ſe coordinatio in figura & modo ſuæ figuræ. 25.

Prima, cum medius terminus eſt ſubiectum in maiori & prædicatum in minori. 19.

Secunda, cum medius terminus eſt prædicatum in vtrâque præmiſſa. 19.

Tertia, cum medius terminus eſt ſubiectum in vtrâque præmiſſa. 20.

Quarta ſeù *Galeni*, in qua medius terminus eſt prædicatum in maiori & ſubiectum in minori. 24.

Modus

Modus Syllogiſticus

Propoſitionum inter ſe coordinatio recta, ſecundùm quantitatem, & qualitatem. 20.

Directus ſiue perfectus, in quo maior extremitas eſt prædicatum concluſionis. 21. 169.

Indirectus ſeù imperfectus, in quo minor extremitas eſt prædicatum concluſionis. 21. 169.

Entymema

Argumentatio, in qua ex vna præmiſſa infertur concluſio. 27.

Inductio

Argumentatio, in qua ſingularibus ſufficienter enumeratis infertur concluſio vniuerſalis. 27.

Exemplum

Argumentatio, in qua ex vno, vel pluribus particularibus, infertur concluſio particularis. 27.

Dilemma

Argumentum, quo quidquid concedat aduerſarius, reprehenditur. 28.

Demonſtratio

Syllogiſmus conſtans ex veris primis immediatis notioribus & prioribus cauſiſque concluſionis. 153.

Di hoti ſeù propter quid ſiuè à priori, quæ probat prædicatum concluſionis conuenire ſubiecto per eius proximam & adæ-

quatam cauſam. 152.

Hoti ſeù *quia* ſiuè *à poſteriori*, quæ probat prædicatum concluſionis conuenire ſubiecto per eius proprium effectum. 152.

Regreſſus demonſtratiuus.

Cum, poſtquàm per aliquod principiũ cõcluſionẽ probamus, regredimur ad probandum illud principium per illam concluſionem. 154.

Demonſtratio, in qua concluſio alterius demonſtrationis accipitur pro medio, & medium eiuſdem pro concluſione. 154.

Conuerſio

Oratio, quæ fit per illationem. 9.

Mutua prædicati cum ſubiecto commutatio, manente eâdem affirmatione, aut negatione. 9.

Sĩplex, in qua manet eadẽ quãtitas. 10.

Per accidens, in qua mutatur quantitas de vniuerſali in particularem. 10.

Per contrapoſitionem, cum ſeruata eâdem quantitate & qualitate infinitantur termini. 11.

Reductio

Per oſtenſionem, cum aliqua propoſitio conuertitur aut tranſponitur, ità vt mutuò altera loco alterius collocetur. 170.

Per impoſſibile, cum accipitur contradictoria concluſionis negatæ alicuius modi imperfecti, & coniungitur cum vna ex præmiſſis iam conceſſis ad deducendam

conſe-

conſequentiam contradictoriam alteri propoſitioni conceſſæ. 171.

Fallacia

Cū nō ſeruātur regulæ ſyllogiſticæ. 28.

Accidentis, cum concluditur aliquid conuenire rei, quia conuenit eius accidenti. 29.

A' multiplici interrogatione, cum plures quæſtiones vt vna proponuntur. 30.

A' non cauſa vt cauſa, cum adducitur pro cauſa id, quod verè cauſa non eſt. 30.

A' ſecundum quid ad ſimpliciter, cum concluditur aliquid conuenire toti, quia conuenit parti, aut è contra. 29.

Ignorationis elenchi, quando concluditur vt contradictorium alicuius propoſitionis, quod re vera tale non eſt. 30.

Cū cōmittitur circulus vitioſus. 154.

Petitionis principij, cum probamus idem per idem. 30.

Cum vt certum ſupponimus id ipſum, quod eſt in quæſtione. 30.

Æquiuocatio, cum eodem verbo ad ſignificanda omninò diuerſa inſtituto quis vtitur. 28

Amphibologia ambiguus ſermonis contextus. 29.

Compoſitio & *Diuiſio*, cum quis à coniunctis ad diuiſa procedit. 29.

Cum quis à diuiſis ad coniuncta procedit. 29.

INDEX
Capitum Definitionum.

A

ACcidens xx.
Actio xxij.
Æquipollentia xxvij.
Æquiuoca xxj.
Æquiuocatio xxxj.
Amphibologia xxxj
Analoga xxj.
Argumentatio xxvij
Ars xj.

C

CAtegoria xxij.
Certitudo xiij.
Cognitio xij.
Commune accidẽs xx.
Compoſitio xxvj. xxxj.
Conuerſio xxx.

D

DEfinitio xxvj.
Demõſtratio xxjx.
Denominatio xxj.
Denominatiua xxj.
Dialectica xv.
Differentia xviij.
Dilemma xxvjx.
Diſcurſus xxvij.
Diuiſio xxvj.xxxj.
Dubium xjv.

E

ENtymema xxjx.
Exemplum xxjx.

F

FAcultas xj.
Fallacia xxxj.
Falſitas xxvij.

Fides

Fides xjv.
Figura ſyllogiſtica xxviij.

G

G*Enus* xviij.

H

H*Abitus* xj. xxiij.
Homonyma xxj.

I

I*Ncertidudo* xiij.
Indiuiduum xjx.
Inductio xxjx.
Intentio xv.
Iudicium xxiij.

L

L*Ogica* xv.

M

M*Endacium* xxvj.
Methodus x.
Modus ſyllogiſticus xxjx.
Motiuum ad aſſenſum xiij.
xxxiij

O

O*Biectum* xiij.
Opinio xjv.
Oppoſitio xxvij.

P

P*Aronyma* xxj.
Paſſio xxiij.
Pertinacia xjx.
Philoſophia x.
Prędicamentum. xxij.
Pradicari xvij.
Pradicatio xvij.
Pradicatum xvj.
Pręmiſſa xxv.
Prima principia xj.
Proportio xxj
Propoſitio xxiij.
Proprium xx.
Prudentia xj.

Q

Q*Ualitas* xxij.
Quando xxiij.
Quantitas xxij.

Redu-

R

R*Eductio* xxx.
Regreſſus demonſtratiuus xxx.
Relatio xxij.
Res per ſe nota xiij.

S

S*Apientia* xj.
Scientia xij.
Signum xvj.
Simplex apprehēſio xvj.
Singulare xvij.
Situs xxiij.
Species xjv.
Subiectum xvj.
Subſtantia xxij.
Suſpicio xjv.
Syllogiſmus xxviij.
Synonyma xx.

T

T*Erminus* xvj.

V

V*Bi* xxiij.
Veritas xxv.
Vnitas xvij.
Vniuerſale xvij.
Vniuoca xx.
Vnum xvij.

Definitionum.
FINIS.

APPROBATIONES

P Regẽs Gregorius Tonelli Seruita videat ſi in Opere iſto aliquid ſit contrarium ſanctæ fidei, & bonis moribus, & referat. Datum 17. Septembris 1681.

Nicolaus de Caſtellanis Vic. Gẽ. Subſt.

A Ccuratè legi Coſmũ Philoſophicum, ſeù explanationẽ vniuerſalem Ariſtotelicæ Philoſophiæ D. Friderici Giannetti Inſignis Collegiatæ Eccleſiæ S. Laurentij Canonici, nihil in eo contra fidem, ac bonos mores inueni, ſed ſanam, ac probabilem doctrinam continere prænoui, vnde vt vtilem, ac proficuam in lucem edi poße cenſeo. Dat. Florentiæ in Conuentu Sanctiſſimæ Annunciatæ die 19. Septembris 1681.

Fr. Gregorius Aloyſius Tonelli Seruita Studij Regens.

Imprimatur ſeruatis ſeruandis. Datũ 20. Septembris 1681.

Nicolaus de Caſtellanis Vic. Gen. Flor. Sub.

AD Illuſtriſſimum D. Aduocatum Auguſtinum Coltellini Conſultorem iubilatum huius S. Off. Florentiæ, vt diligenter examinet præſentem librum, cui titulus, Coſmus philoſophicus; & vbi nihil obſtiterit, probet. Datum ex Ædibus

Ædibus S. Off. Florentiæ hac die 26. Septembris 1681.

F. Cæſar Pallauicinus Vic. Gen. S. Off. Flor.

Adm. Reu. P. D.

OPus meæ cenſuræ commiſſum probo. Et gratulor Tyronibus, editionem eiuſdem à moleſto exſcipiendi onere, leuandis. Quòd ſi quis ex Dictatoribus refragari contendat, conſulat eruditiſs. & doctiſs. P. Poſſeuinum S.I. in Bibliot. Selec. Lib. 1. Cap. 26. ad quem, tanquàm ad competentem Iudicem, diſſidentes remitto. Vtinam Auctor, publico bono, Philoſophica & Theologica ſua quamprimùm exhibeat, quod ei felix fauſtumquè precor A. M. D. G.

Auguſtinus Coltellini mea manu.

Imprimatur hac die 13. Octob. 1681.

F. C. Pallauicinus Vic. Gen. S. Off. Floren.

Matthæus de Mercatis Aduocatus pro Sereniſs. Magnoduce Etruriæ.

INDEX

INDEX

Introdutionis Logicæ

Cap. I. De Logica. 3.
Cap. II. De Termino. 4.
Cap. III. De Propoſitione. 5.
Cap. IV. De Accidentibus Propoſitionum. 9.
Cap. V. De Argumentatione. 16.
Cap. VI. De Fallacijs. 28.
Cap. VII. Exponuntur varia Voces in diſputando frequentiùs occurrentes. 31.

Ad Vniuerſam Philoſophiam

Notitia quorundam principiorum & axiomatum. 34.
Notitia proemiales. 41.

Diſpu-

Diſputationum Quæſtinumque Logicalium.

Diſputatio Proemialis. 49.

Quæſt. I. Quodnam ſit obiectum logicæ. 49.

Quæſt. II. Vtrum logica ſit ſciẽtia. 57.

Quæſt. III. Vtrum logica docens & vtẽs ſint duo habitus. 63.

Quæſt. IV. Vtrum logica practica neceſſaria ſit ad acquirẽdas ſcientias. 66.

Diſputatio I. De ſimplici mentis apprehenſione. 71.

Quæſt. I. Vtrũ voces ſignificent immediatè res, an conceptus loquentis. 72.

Quæſt. II. Vtrum detur à parte rei vniuerſale platonicum. 75.

Quæſt. III. Vtrum detur vniuerſale ſtoicum. 78.

Quæſt. IV. Vtrum detur vniuerſale ariſtotelicum. 81.

Quæſt. V. Vtrum à parte rei detur vnitas vniuerſalis. 84.

Quæſt. VI. Vtrum vniuerſale in actuali prædicatione ſuam amittat vniuer-

ſali.

ſalitatem. 97.
Quæſt. VII. Vtrũ vniuerſale adæquatè diuidatur in quĩque prædicamẽta. 100.
Quæſt. VIII. Quid ſint vniuerſalia in particulari. 104.
Quæſt. IX. Quid & quænam ſint antepręeddicamenta. 112.
Quæſt. X. Quid & quot ſint categoriæ ſeù prædicamenta. 117.
Quæſt. XI. Quid ſint categoriæ in particulari. 119.
Quæſt. XII. De poſtprædicamentis, ſeù quid ſint definitio & diuiſio. 124.
Demonſtrationes aliquot terminũ. 126.

Diſputatio II. De iudicio. 128.
Quæſt. I. Vtrum iudicium ſit ſimplex qualitas. 128.
Quæſt. II. An veritas ſit in iudicio, non verò in apprehenſione. 130.
Quæſt. III. An veritas ſit ſolùm in iudicio ſpeculatiuo, an etiam in practico. 134.
Quæſt. IV. Vtrum propoſitiones de futuro contingenti ſint determinatè verę vel determinatè falsę. 137.

Quæſt.

Quęſt.V. vndenam oriatur difficultas aſſequendę veritatis. 146.

Diſputatio III. De diſcurſu. 149.

Quęſt.I. Quid & quotuplex eſt demonſtratio. 151.

Quęſt.II. Vtrum regreſſus demonſtratiuus ſit vtilis. 154.

Quęſt.III. Vtrum in eodem intellectu poſſit ſtare ſimul ſcientia & opinio de eodem obiecto. 157

Quęſt.IV. Vtrum per ſe vtile ſit argumentari ab hypotheſi impoſſibili. 165.

BREVIS

BREVIS

IN VNIVERSAM ARISTOTELIS LOGICAM

INTRODVCTIO

BREVIS In Vniuerſam ARISTOTELIS Logicam INTRODVCTIO.

CAPVT I.

LOGICA, ſic dicta à græco nomine Logos, quod rationem ſignificat, eſt facultas directiua operationum intellectus. Hæc quatenùs de rebus clarè ac diſtinctè docet diſſerere, Dialectica nuncupatur.

Operatio intellectus triplex eſt; ſcilicet, ſimplex apprehenſio, iudicium & diſcurſus.

Simplex apprehenſio eſt conceptus, quo intellectus nihil de re apprehenſa negat, aut affirmat: e. g. ſi concipiens *Animal*, de ipſo nihil neget, aut affirmet, ſimplicem facit apprehenſionem. Ad hanc pertinent actus dubitatiui, & ſimiles, in quibus intellectus veluti hæſitans & ſuſpenſus manet.

Iudicium eſt affirmatio vel negatio de re apprehenſa: e.g. ſi de Animali dicam, *Animal eſt principiũ ſentiens.*

Diſcurſus eſt actus, quo intellectus vnum ex alio deducit: e. g. *Animal eſt principium ſentiens; ergò non eſt lapis.*

Prima operatio exprimitur exteriùs per ſimplices terminos: ſecunda per propoſitiones: tertia per ſyllogiſmos.

CAPVT II.

De Termino

QVod Grammatici nomen, Dialectici terminum vocant, quia ipſo vtuntur ad terminandam propoſitionem. Explicatur autem

tem ſic. Terminus eſt pars extrema propoſitionis ſe habens vt ſubiectum aut prædicatum.

Subiectum eſt id, de quo aliud dicitur; prædicatum eſt id, quod de alio, ideſt de ſubiecto, dicitur: e. g. *Homo eſt albus* eſt propoſitio, cuius partes exſtremæ *Homo* --- *albus* ſunt eius termini. *Homo* eſt ſubiectum, quia de ipſo dicitur *albus*; hic verò eſt prædicatum, quia de ſubiecto dicitur. Particula *eſt* copula vocatur, quia ſubiectum cum prædicato copulat.

CAPVT III.
De Propoſitione.

PRopoſitio eſt oratio affirmans, vel negans: e. g. *Homo eſt albus: Homo non eſt albus*. Affirmatio & negatio, veritas & falſitas, ſunt qualitas propoſitionis, quare

I. Ratione qualitatis diuiditur propoſitio in affirmatiuam, & negatiuam; veram, & falſam.

II. Diuidur in categoricam, hypo-

theticam, & modalem. Categorica eſt in qua prædicatum abſolutè, ſeù ſine vlla conditione vel modo, dicitur de ſubiecto: e. g. *Homo eſt rationalis.* Hypothetica eſt, quando prædicatum dicitur de ſubiecto non abſolutè, ſed ex aliqua hypotheſi, ſeù facta aliqua ſuppoſitione: e. g. *Si Petrus eſt doctus, eſt laudabilis*, in qua non dicitur abſolutè laudabilis, ſed facta ſuppoſitione, quòd ſit doctus. Modalis eſt illa, in qua exprimitur modus, quo prædicatum ineſt vel non ineſt ſubiecto: e.g. *Homo neceſſariò eſt animal*, vbi per *neceſſariò* exprimitur modus, quo animal eſt in homine. Huiuſmodi autem modi quatuor ſunt, nempe, *Poſſibile, impoſſibile, contingens* & *neceſſarium*.

III. Diuiditur in vniuerſalem, particularem, indefinitam, & ſingularem. Vniuerſalis eſt cuius ſubiectum eſt terminus communis vniuerſali ſigno notatus, ſcilicet particula *omnis* vel *nullus*: e. g. *Omnis homo eſt Animal. Nullus homo eſt lapis*. Particularis eſt,

cuius

cuius ſubiectum eſt terminus communis particulari ſigno notatus; e. g. particula *aliquis*, *quidam* &c. vt *Aliquis homo eſt albus*. Indefinita eſt; cuius ſubiectum eſt terminus communis nullo ſigno notatus: e. g. *Homo eſt animal*. In propoſitione indefinita ſi prædicatum eſt eſſentiale, ſcilicet, ſi negari nequit de ſubiecto, propoſitio æquiualet vniuerſali: e. g. *Homo eſt animal*, æquiualet huic *Omnis homo eſt animal*, quia nequit *animal* verè negari de ſubiecto. Si verò prędicatum ſit accidentale, ideſt, ſi negari poſſit de ſubiecto, absquè eo quod deſtruatur ſubiectum, propoſitio æquiualet particulari: e. g. *Homo eſt albus* æquiualet huic, *Aliquis homo eſt albus*. Propoſitio ſingularis eſt, in qua ſubiectum ſignificat vnum tantùm: e. g. *Petrus eſt homo*.

IV. Diuiditur propoſitio in diſiunctiuam & copulatiuam; in eam quæ eſt de ſecundo adiacente, & de tertio; in identicam, & non identicam. Diſiunctiua eſt, in qua ponitur particula

vel: e. g. *Petrus vel currit, vel non currit*. Ad hoc vt hæc ſit vera, neceſſe eſt, vt membra ipſius ſint immediatè oppoſita, alioquin eſt falſa: e. g. *Petrus vel eſt diues, vel doctus*, eſt falſa, quia cum *diues* & *doctus* non opponantur, poteſt Petrus eſſe nequè diues nequè doctus. Copulatiua eſt, cuius plura ſubiecta, vel prædicata, copulantur aliqua coniunctione: e. g. *Homo eſt animal & ſubſtantia*. De ſecundo adiacente eſt, in qua prædicatum non exprimitur, ſed continetur in verbo adiectiuo: e. g. *Homo diſcurrit*. Hîc notate, omnia verba, præter *Sum*, eſſe adiectiua. De tertio adiacente eſt, in qua prædicatum exprimitur: e. g. *Homo eſt diſcurrens*. Identica eſt in qua ſubiectum & prædicatum eundem omninò conceptum ſignificant: e. g. *Homo eſt homo*. Non identica eſt, in qua ſubiectum & prædicatum ſignificant conceptum diuerſum: e. g. *Homo eſt animal*. Hinc aduertite, ad faciendam propoſitionem identicam non ſufficere, vt prædicatum & ſubie-

ctum

ctum ſignificent eandem rem; ſed requiri,vt ipſam ſub eodem conceptu repræſentent; ſic *homo* & *animal rationale* ſignificant idem, ſed quia animal rationale ſignificatur conceptu clariori & magis explicito, quàm homo, propterea *Homo eſt animal rationale* non eſt propoſitio identica.

CAPVT IV.
De Accidentibus Propoſitionum.

PRopoſitionibus accidunt hæc quinque, videlicet, qualitas, quantitas, conuerſio, oppoſitio, & æquipollentia.

Qualitas ſuperius explicata eſt.

Quantitas eſt vniuerſalitas,vel particularitas, quæ per particulas *omnis, nullus ,aliquis, quidam*, & ſimiles,demonſtratur.

Conuerſio eſt mutua prædicati cum ſubiecto commutatio, manente eâdem affirmatione, aut negatione. Fit autem conuerſio cum illatione, ideſt vtendo particula *ergò*: e. g.

Omnis homo eſt animal ; ergò
Aliquod animal eſt homo:

prima propoſitio dicitur conuerſa, ſecunda conuertens.

Triplex eſt conuerſio; prima ſimplex, ſeù per ſe; ſecunda per accidens; tertia per contrapoſitionem, quæ iam obſoleuit.

Simplex eſt, in qua manet eadem quantitas: hoc genere conuerſionis poſſunt conuerti ſolùm propoſitiones vniuerſales negatiuę & particulares affirmatiuę: e. g.

Nullus homo eſt lapis; ergò
Nullus lapis eſt homo:

ſimiliter

Aliquis homo eſt albus; ergò
Aliquod album eſt homo.

Per accidẽs eſt, in qua mutatur quãtitas de vniuerſali in particularem: hoc genere conuerſionis poſſunt conuerti duntaxat propoſitiones vniuerſales: e. g.

Omnis homo eſt animal; ergò
Aliquod animal eſt homo:

ſimiliter in negatiuis

Nullus

Nullus homo eſt lapis; ergò
Aliquis lapis non eſt homo.

Per contrapoſitionem, eſt cũ ſeruata eâdem quantitate & qualitate infinitantur termini. Dicuntur termini infinitari, cum ipſis particula *non* preponitur. Hoc genere conuerſionis poſſũt cõuerti duntaxat vniuerſalis affirmatiua, & particularis negatiua: e.g.

Omnis homo eſt animal; ergò
Omne non animal eſt non homo:

ſimiliter

Aliquis homo non eſt albus; ergò
Aliquod non album non eſt non homo.

Omnes prædictæ conuerſionum regulæ his verſiculis continentur.

FEcI ſimpliciter conuertitur, EuA per acci.
AſtO per contrap. ſic fit conuerſio tota.

In his vocibus, FEcI, EuA, AſtO, ſicuti & in modis figurarum, de quibus infra, vocalis A ſignificat propoſitionem vniuerſalem affirmatiuam, E vniuerſalem negatiuam, I particularem affirmatiuam, O particularem negatiuam: quare ſenſus eſt; E & I,

contenta in voce FEcI, ideſt vniuerſalis negatiua, & particularis affirmatiua, conuerti poſſunt ſimpliciter; E & A contenta in voce EuA, conuerti poſſunt per accidens; A & O, per contrapoſitionem. Vim prædictarum vocalium exprimit carmen illud


Aſſerit A, negat E, verũ generaliter ambæ.
Aſſerit I, negat O, ſed particulariter ambæ.

Oppoſitio eſt mutua repugnantia duarum propoſitionum ijſdem terminis conſtantium: hæc autem repugnantia eſt, vel in qualitate, vel in quantitate, vel in vtrâque.

Quadruplex eſt oppoſitio. Contraria, per quã duæ vniuerſales pugnant in qualitate, ſcilicet vna negat, quod affirmat alia. Subcontraria, per quam duæ particulares ſunt vna affimans, & altera negans. Subalterna, per quam duæ affirmatiuæ, vel duæ negatiuæ, differunt in quantitate, cum vna ſit vniuerſalis, & alia particularis. Contradictoria, per quam duæ propoſitiones pugnant & in qualitate, & in quantitate;

exem-

exemplum patet in ſubiecta figura.



Propoſitiones contrariæ poſſunt eſſe vel ambæ falſæ, vt in exemplo allato, vel vna vera & altera falſa: e. g. *Omnis homo eſt animal: Nullus homo eſt animal*; ſed nequeunt eſſe ambæ veræ. Subcontrariæ poſſunt eſſe ſimul veræ, vt in exemplo allato, vel vna vera & altera falſa: e. g. *Aliquis homo eſt animal: Aliquis homo non eſt animal*; ſed nequeunt eſſe ſimul falſæ.

Digitized by Google

ſæ. Subalternæ poſſunt eſſe vel ambæ falſæ, vt *Nullus homo eſt animal: Aliquis homo non eſt animal*; vel ambæ veræ, vt *Omnis homo eſt animal: Aliquis homo eſt animal*; vel vna vera & altera falſa, vt *Nullus homo eſt albus: Aliquis homo non eſt albus*. Contradictoriæ ſemper ſunt neceſſariò vna vera, & altera falſa. Ex his patet oppoſitionem contradictoriam meritò dici omnium maximam: quia, cum reliquæ oppoſitiones aliquando conueniant in aliquo; ſic contrariæ aliquando conueniunt in falſitate; ſubcontrariæ in veritate; ſubalternæ in vtrâque; contradictoriæ autem in nullo poſſunt conuenire. Hæc oppoſitio inter propoſitiones dicitur complexa, ad differentiam oppoſitionis inter puros terminos, e.g. *homo*, *non homo*, quæ dicitur ſimplex.

Æquipollentia eſt, cum per additionem alicuius negationis propoſitio fit æquiualens ſuæ oppoſitæ. Pro quo aduertite, quòd negatio *non* eſt malignantis naturæ, ſcilicet addita alicui

alicui propoſitioni mutat illam in ſenſum omninò oppoſitum, & in oppoſitam quantitatem: e.g. vt hæc propoſitio *Quidam homo non eſt animal*, fiat æquipollens ſuæ oppoſitæ *Omnis homo eſt animal*, addatur negatio antè ſubiectum, dicendo *Non quidam homo non eſt animal*. In contradictorijs, vt fiat æquipollentia, negatio ponitur ante ſubiectum; in contrarijs ponitur poſt ſubiectum; in ſubalternis & prę ponitur, & poſtponitur: hoc totum indicat hic verſus.

Prę contradic. poſt contra. præ poſtque ſubalter.

Vim autem negationum adiunctarum ſignis ſubiecti demonſtrant hæc carmina.

Non omnis quidam: *Non omnis non* quaſi nullus.
Nonnullus quidam: ſed *Nullus non* valet omnis.
Non aliquis nullus: *Non quidam non* valet omnis.
Non alter neuter: *Neuter non* præſtat vtrumque.

CA-

CAPVT V.

De Argumentatione.

ARgumentatio eſt oratio, in qua vnum infertur ex alio :: e. g.

Homo eſt animal ; ergò
Homo eſt ſenſitiuus.

Quatuor præcipuæ ſunt argumentationis ſpecies, nempe ſyllogiſmus, enthymema, inductio, & exemplum.

Syllogiſmus definitur ab Ariſtotele: *Eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis neceſſe eſt aliud ſequi, ex eo, quod hæc ſint*: & ſenſus eſt. Syllogiſmus eſt argumentatio conſtans tribus propoſitionibus rectè diſpoſitis ſecundum terminos in figura & modo ſuæ figuræ; ſeù in qua ex duabus præcedentibus propoſitionibus, quæ præmiſſæ dicuntur, neceſſariò ſequitur concluſio, ſeù tertia propoſitio.

Ex his patet, quatuor ad rectè conſtituendum ſyllogiſmū requiri. Primum eſt numerus triū terminorum; ſecundum eſt numerus trium propoſitionum; tertium eſt figura; quartum

eſt modus figuræ.

Quo ad primum de numero trium terminorum, ſciendum eſt, quòd quando proponitur aliqua quæſtio, e. g. *An rationale ſit animal*, duo ſunt extrema talis propoſitionis, nempe, *rationale* & *animal*, de quibus quæritur, an habeant inter ſe connexionẽ; ideſt, an *rationali* conueniat eſſe *animal*: vt autem oſtendatur hoc, inueniendus eſt alter terminus medius inter iſtos, cum quo ſi ſeorſim accepti prædicti termini habebunt connexionem in præmiſſis, eandem etiam habebunt connexionem inter ſe in concluſione, iuxta illud principium, *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*: e. g. medius terminus inter *animal* & *rationale* ponatur *homo*, ſic;

Omnis homo eſt animal
Omne rationale eſt homo; ergò
Omne rationale eſt animal:

vbi quia ſeorſim accepti *animal* in maiori, & *rationale* in minori, ſunt connexi cum eodem medio termino *homo*, neceſſariò concluditur tales ter-

minos

minos etiam connecti inter ſe.

Ex his terminis ille, qui eſt ſubiectum quæſtionis, ideſt de quo inquiritur (vt *Rationale* de quo quæritur anſit *Animal*) vocatur minus extremum; quia ſolet eſſe minus vniuerſalis, quàm ſit prædicatum. Alter terminus, ſeù prædicatum, vocatur maius extremum; quia eſt magis vniuerſale, quàm ſubiectum; ſic *Animal*, in exemplo allato, eſt magis vniuerſale quàm rationale. Tertium illud, quod aſſumitur ad probandum illa duo inter ſe connecti, vocatur medius terminus. Hinc notate, quòd cum ordo naturalis poſtulet, vt ab vniuerſalioribus ad minùs vniuerſalia procedamus, maius extremum debet primo loco, ideſt in prima ſeu maiori propoſitione poni; minor vero extremitas locanda eſt in ſecunda, ſeu in minori propoſitione; & deniquè vtraque extremitas debet concluſionem conſtituære, atquè adeò medius terminus in concluſione reperiri numquam poteſt, cum concluſio nequeat pluribus

quàm

quàm duabus extremitatibus cõſtare.

Quoad ſecundum, ſcilicet de numero trium propoſitionum, ſciendum eſt, quòd ipſarũ prima dicitur maior, quia in ipſa eſt maius extremum, & primo ponitur loco; ſecunda dicitur minor, quia eſt in ipſa minus extremum, & ſecundo loco ponitur; tertia, quæ per particulam *ergò* deducitur ex duabus præmiſſis, appellatur concluſio, quia ſyllogiſmum perficit & claudit.

Quoad tertium requiſitum, ſciendum eſt, quòd figura ſyllogiſmi eſt medij termini cũ extremis collocatio apta ad cõcludendum; quare tot ſunt figuræ, quot ſunt collocationes medij termini cum extremis, videlicet tres in Ariſtotelica ſententia; in opinione verò Galeni quatuor; tot enim modis poteſt medius terminus cum extremis complicari.

Prima figura eſt, cum medius terminus eſt ſubiectum in maiori, & prædicatum in minori: ſecunda figura eſt, cum medius terminus eſt prædica-

tum

tum in vtrâque præmiſſa. Tertia figura eſt, cum medius terminus eſt ſubiectum in vtrâque præmiſſa: totum hoc declarat hic verſus

Sub. præ. prima, ſed altera bis præ.
tertia bis ſub.

exemplum primæ ſit

Omnis HOMO eſt animal,
Omne rationale eſt HOMO; ergò
Omne rationale eſt animal.

exemplum ſecundæ

Nullus homo eſt LAPIS,
Omne marmor eſt LAPIS; ergò
Nullum marmor eſt homo.

exemplum tertiæ

Omnis HOMO eſt animal,
Omnis HOMO est riſibilis; ergò
Aliquod riſibile eſt animal.

Quoad quartum requiſitum de modo, ſcitote quod modus eſt propoſitionum inter ſe coordinatio recta ſecūdum quantitatem & qualitatem.

Singulæ autē figuræ ſuos habēt modos, in quibus notādæ ſunt primæ tres vocales iuxta ſignificationem à nobis allatam Cap. IV. verſu *In his vocibus* &c.

&c. Prima vocalis maiorem propoſitionem, ſecunda minorem, tertia conclusionem ſignificat. Ex modis autem alij directè concludunt, vocanturquè propterea directi; alij concludunt indirectè, & dicuntur indirecti.

Modi directi ſunt, in quibus maior extremitas eſt prædicatum concluſionis: indirecti ſunt, in quibus minor extremitas eſt prædicatum concluſionis; vt patebit infra.

Primæ figuræ nouem ſunt modi, quatuor primi directi, alij quinque indirecti, qui notantur his vocibus.

BArbArA, CElArEnt, DArII, FErIo, BArAlIpton.

CElAntEs, DAbItIs, FApEsmO, FrIsEsOmorum.

Secundæ figuræ quatuor ſunt modi omnes directi.

CEsArE, CAmEſtrEs, FEſtInO, BArOcO.....

Tertiæ figuræ modi ſunt ſex, omnes directi.

...... DArAptI FElAptOn, DIsAmIs, DAtIsI, BrOccArdo, FErIsOn.

vt

Vt res clariùs percipi poſſit, ſingulorũ modorum exempla ponam.

Directi I. Figuræ.

Bar-	*Omnis homo eſt animal*
ba-	*Omne rationale eſt homo; ergò*
ra	*Omne rationale eſt animal.*
Ce-	*Nullus homo eſt lapis*
la-	*Omne rationale eſt homo; ergò*
rent	*Nullum rationale eſt lapis.*
Da-	*Omnis homo eſt ſubſtantia,*
ri-	*Aliquod rationale eſt homo; ergò*
j	*Aliquod rationale est ſubstãtia.*
Fe-	*Nullus homo est hinnibilis*
ri-	*Aliquod rationale est homo; ergò*
o	*Aliquod rationale nõ est hĩnibile.*

Modi indirecti.

Ba-	*Omnis leo est ſubstantia*
ra-	*Omne rugibile est leo; ergò*
lip.	*Aliqua ſubstantia est rugibilis.*
Ce-	*Nullus equus est canis*
lan-	*Omne hinnibile est equus; ergò*
tes	*Nullus canis est hinnibilis.*

Omne

Da- *Omne marmor est lapis,*
bi- *Aliquod durũ est marmor; ergò*
tis *Aliquis lapis est durus.*

Fa- *Omnis planta est viuens*
pe- *Nullũ marmor est planta; ergò*
ſmo *Aliquod viuens non est marmor.*

Fri- *Aliquis adamas est lapis*
ſe- *Nullus leo est adamas; ergò*
ſo *Aliquis lapis non est leo.*

Modi II. Figuræ.

Ce- *Nullus homo est lapis*
ſa- *Omne marmor est lapis; ergò*
re *Nullum marmor est homo.*

Ca- *Omnis homo est riſibilis,*
me- *Nullus leo est riſibilis; ergò*
ſtres *Nullus leo est homo.*

Fe- *Nullus leo est homo,*
ſti- *Aliquod riſibile est homo; ergò*
no *Aliquod riſibile non est leo.*

Ba- *Omnis planta est viuens,*
roc- *Aliqd marmor nõ eſt viuẽs; ergò*
co *Aliquod marmor non est planta.*

Modi tertiæ figure.

Da-	*Omnis planta eſt viuens,*
ra-	*Omnis plāta eſt vegetatiua; ergò*
pti	*Aliquod vegetatiuum eſt viuēs.*
Fe-	*Nullum marmor eſt equus,*
la-	*Omne marmor eſt lapis; ergò*
pton	*Aliquis lapis non eſt equus.*
Di-	*Aliquis leo eſt ſubſtantia*
ſa-	*Omnis leo eſt rugibilis; ergò*
mis	*Aliquod rugibile eſt ſubſtantia.*
Da-	*Omnis homo eſt rationalis,*
ti-	*Aliquis homo eſt riſibilis; ergò*
ſi	*Aliquod riſibile eſt rationale.*
Bro-	*Aliqua planta non eſt lapis,*
car-	*Omnis planta eſt vegetās; ergò*
do	*Aliquod vegetans non eſt lapis.*
Fe-	*Nullus homo eſt irrationalis,*
ri-	*Aliquis homo eſt ſubſtātia; ergò*
ſon	*Aliqua ſubſtatia nō eſt irration:*

Quartam Galeni figuram, in qua medius terminus eſt prædicatum in maiori, & ſubiectum in minori, non damnan-

damnandam cenſeo, ſed quia minùs naturaliter concludit, ipſam omitto.

Ex hactenùs dictis ſatis intelligi poteſt, formam ſyllogiſmi nihil aliud eſſe, quàm terminorum & propoſitionum aptam inter ſe coordinationem in figura, & modo ſuæ figuræ. Si autem ſyllogiſmus fuerit in forma, concluſio ex præmiſſis ſequitur neceſſariò, non ſolùm neceſſitate conſequentis, ideſt ratione materiæ, ſed etiam neceſſitate conſequentiæ, ideſt ex vi diſpoſitionis terminorum & propoſitionum.

Tota verò vis rectè & neceſſariò inferendi concluſionem in ſyllogiſmis affirmatiuis, oritur præcipuè ex duobus primis principijs, ſcilicèt: *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*; & ex alio *Dictum de omni*. Eius ſenſus eſt, quod affirmatur de aliquo vniuerſaliter ſumpto, affirmatur verè etiam de omnibus ijs, quæ ſub ipſo continentur: e.g. ſub hoc termino *animal* continentur, homo, leo, equus &c. ſi ergò vniuerſaliter de ani-

mali dicatur *Omne animal eſt viuens*, etiam de homine, leone, equo,&c. dicetur *ſunt viuentia*. In ſyllogiſmis verò negatiuis virtus inferendæ concluſionis oritur ex duobus principijs negatiuis, nempè *Dictum de nullo*,& *Quod repugnat conſequenti repugnat antecedenti*. Senſus prioris eſt, quod negatur de aliquo vniuerſaliter ſumpto,negatur etiam de omnibus cō tentis ſub ipſo: e. g. ſi de Animali vniuerſaliter negetur lapis, dicendo, *Nullum animal eſt lapis*,idem quoquè negabitur de homine, leone, equo, &omnibus ſub animali contentis, Senſus poſterioris principij eſt, illa extremitas, quæ rectè negatur in præmiſſis de medio termino, negatur etiam rectè de altera extremitate in concluſione. Ex quo fit,vt ſi vna ex præmiſſis negatiua ſit, concluſio neceſſariò debeat eſſe negatiua.

Non eſt hîc omittendus ſyllogiſmus expoſitorius,ità dictus, quia totam rem veluti ob oculos ponit, cum conſtet medio termino ſingulari: e. g.

Petrus

Petrus est homo,
Petrus est animal; ergò
Aliquis homo est animal.

Enthymema eſt argumẽtatio in qua ex vna præmiſſa, quæ dicitur antecedens, infertur concluſio, quæ dicitur conſequens: e.g.

Omnis homo est animal; ergò
Petrus est animal.

Inductio eſt argumentatio, in qua ſingularibus ſufficienter enumeratis infertur concluſio vniuerſalis: e. g.

Hic, & iste, & ille homo est riſibilis; ergò
Omnis homo est riſibilis.

Sufficienter dicũtur enumerari ſingularia, ſi enumerentur aliqua tantùm in materia neceſſaria, vt factum eſt in allato exemplo: At ſi verſemur in materia contingenti, debent enumerari omnia, alioquin facillimè indutio nos fallet.

Exemplum eſt argumentatio, in qua ex vno vel pluribus particularibus, infertur cõcluſio particularis: e. g.

Omnes diſcipuli me intelligunt; ergò Petrus me debet intelligere.

Dilemma, Sorites, & Epicherema potiùs ad Rhetores, quàm ad Dialecticos ſpectant, licèt etiam Dialectici quandoquè vtantur dilemmate.

Eſt autem dilemma argumentum, quo quidquid concedat aduerſarius, reprehenditur; ac propterea cornutũ argumentum appellatur: e. g.

Vel peccator offendit Deum cognoſcens, vel non cognoſceus.
Si cognoſcens; ergò est impius.
Si non cognoſcens; ergò est stultus.

CAPVT VI.

De Fallacijs.

SI non ſeruentur regulæ ſyllogiſticæ hactenùs traditæ, poſſunt in argumẽtis multæ latêre fallaciæ, quarum quædam in verbis ſeù dictione, aliæ in rebus conſiſtunt. Fallaciæ in verbis ſunt, æquiuocatio, amphibologia, compoſitio, & diuiſio. Æquiuocatio eſt, cum eodem verbo ad ſignificanda omninò diuerſa inſtituto quis

vtitur

vtitur: e. g. *Canis latrat*;
Sydus aliquod eſt canis; *ergò*
Sydus aliquod latrat.

Amphibologia eſt, cum ambiguus ſermonis contextus fit: e. g.
Aio te Æacida Romanos vincere poſſe.

Compoſitio & diuiſio eſt, cum quis à coniunctis ad diuiſa, aut è contra procedit: e. g.
Cæci vident, ait Euangelium,
Non habentes viſum ſunt cæci; *ergò*
Non habentes viſum vident.

Fallaciæ in rebus poſitæ ſunt, accidentis, à ſecũdum quid ad ſimpliciter, ignorationis elenchi, petitionis principij, à non cauſa vt cauſa, à multiplici ſimul interrogatione.

Accidentis eſt, cum concluditur aliquid conuenire rei, quia conuenit eius accidenti: e. g.
Homo eſt animal,
Animal eſt genus; *ergò*
Homo eſt genus.

A ſecundũ quid ad ſimpliciter eſt, cũ concluditur aliquid conuenire toti, quia conuenit parti, aut è contra: e. g.

Singulæ partes mõtis sũt paruæ; ergò
Totus mons eſt paruus.

Ignorationis elenchi eſt, quando coclūditur vt contradictorium alicuius propoſitionis, quod re verâ tale non eſt: e. g.

Æthiops eſt albus dentibus, & niger manibus; ergò
Æthiops eſt albus, & non eſt albus.

Petitionis principij eſt, cum probamus idem per idem, ſeù cum vt certum ſupponimus id ipſum, quod eſt in quæſtione; vt ſi quis probet terram eſſe rotundam ſic:

Terra habet rotunditatem; ergò
Terra eſt rotunda.

A' non cauſa vt cauſa eſt, cum adducitur pro cauſa id, quod verè cauſa non eſt; vt ſi quis palloren cauſam ægritudinis dicat; cum non ſit cauſa, ſed effectus: e. g.

Pallor eſt principium ægritudinis:
Petrus palleſcit; ergò
Ægrotabit.

A' multiplici interrogatione eſt, cum plures quæſtiones vt vna proponuntur

nuntur: e. g. cum quis quærit, *An animalia & planta ſint quid ſenſitiuum?* Hæc fallacia diſſoluitur adducendo diſtinctas reſponſiones, nam ſi quis vnica reſponſione vti velit, procul dubio capietur, & errabit.

CAPVT VII.
& vltimum.

Exponuntur variæ voces in diſputando frequentiùs occurrentes.

FRequens apud Philoſophos eſt vſus quarundam vocum, præſertim in diſtinctionibus adducendis; ac propterea illas hîc breuiter attingere non erit inutile.

Eſſentialiter ſignificat id, ſine quo res nec eſſe, nec concipi poteſt: e. g. *Homo est eſſentialiter rationalis*, quia nec eſſe, nec concipi poteſt ſine rationalitate.

Accidentaliter ſignificat id, ſine quo res eſſe poteſt: e. g. *Homo est accidentaliter albus*, quia poteſt eſſe homo etiam non albus.

Formaliter ſignificat id, quod ha-

bet in ſe formam expreſſam in prædicato: e. g. *Ignis est formaliter calidus*, quia habet in ſe calorem expreſſum in prædicato *calidus*.

Virtualiter ſignificat id, quod non habet in ſe formam expreſſam in prædicato, ſed virtutem ipſi æquiualentẽ: e. g. *Angelus est virtualiter homo*, quia non habet in ſe humanitatem, ſed naturam continentem perfectiones humanitatis.

In potentia dicitur id, quod poteſt eſſe, actu tamen non dum eſt: e. g. *Semen plantæ est in potentia planta*, quia actu non eſt, ſed poteſt eſſe plãta.

Vt quo dicitur de eo, quod inſtrumentaliter concurrit ad aliquid: e. g. *Calamus ſcribit vt quo*, quia eſt inſtrumentũ, quo vtitur homo ad ſcribẽdũ.

Vt quod dicitur de eo, cui tanquam principali aliquid conuenit: e. g. *Homo ſcribit vt quod*.

Reduplicatiuè ſignificat reduplicatam ſignificationem eiusdem termini ſub eodem conceptu: e. g. *Homo reduplicatiuè vt homo*, ideſt, vt princi-

pium

pium præciſè diſcurrendi.

Specificatiuè ſignificat rem ſecundum alia prædicata non importata per ſubiectum expreſsè: e. g. *Homo vt animal*; nam *animal* non importatur expreſsè, ſed implicitè tantum à ſubiecto *homo*.

Primò intentionaliter ſignificat rē vt eſt in ſe, ſeù à parte rei, independenter à noſtro concipiendi modo: e. g. *Homo primò intentionaliter est rationalis*, ideſt, nullo cogitante, homo in ſe eſt rationalis.

Secundò intentionaliter ſignificat rem vt veſtitam ſeù denominatam ab intellectu talem, vel talem: e. g. *Homo* eſt ſubiectum in hac propoſitione *Homo eſt albus*, quia intellectus ipſum ità concipit, & denominat; non autē ex propria natura, & ideò homo eſt ſubiectum ſecundò intentionaliter.

FINIS

Introductionis ad Logicam

VTILISSIMA *Quorundam* PRINCIPIORVM ET AXIOMATVM

Ad Vniuerſam *PHILOSOPHIAM*

NOTITIA

NON poteſt idem ſimul eſſe & non eſſe.

Quodlibet eſt, vel non eſt.

Dictum de omni.

Dictum de nullo.

Cōtradictoria nō poſſunt eſſe ſimul.

Inter cōtradictoria non datur mediū.

Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe. e.g. ſi *riſibile* & *rationale* ſunt idem cum *homine*, ſunt idem etiam inter ſe: debet tamen tertium illud completè diſtribui, ſeù accipi

cipi ſecundum omnia, quæ importat; alioquin ſi ſumatur particulariter, & inadæquatè, non ſequitur, ea, quæ ſunt idem cum ipſo, eſſe idem inter ſe: e. g. ſi dicatur, *riſibile* eſt *animal*; *hinnibile* eſt *animal*: non benè infertur, quòd *riſibile* ſit *hinnibile*; quia illud tertium *animal* non accipitur vniuerſaliter & completè, ſed particulariter & incompletè; nam idem eſt, ac ſi dicatur, *riſibile* eſt *aliquod animal*; *hinnibile* eſt *aliquod animal*. Hoc eſt fundamentum dicendi, quòd ex puris particularibus nihil ſequitur; ideſt non ſequitur bona concluſio, quia ſcilicet tertium, ſeù medius terminus in ipſis non diſtribuitur.

Quorum vnum diſtinguitur à tertio, à quo alterum non diſtinguitur, ea inter ſe diſtingui oportet. e. g. ſi *lapis* diſtinguitur à *riſibili*, à quo non diſtinguitur *homo*, oportet, vt etiam diſtinguatur ab *homine*. Hinc eruitur regula, quòd ſi vna ex præmiſſis negatiua fuerit, concluſio neceſſariò negatiua eſt.

Quod repugnat conſequenti, repugnat antecedenti. ideſt extremitas, quæ repugnat medio termino, repugnat alteri extremitati.

Totum eſt maius ſua parte.

Finitum additũ finito facit finitum.

Abſtrahentium non eſt mendacium. ideſt, cum vnum prædicatum conſideratur, non conſiderato alio ipſi idẽtificato, non cõmittitur mendacium; quia mendacium conſiſtit in affirmando quod non eſt, aut negando quod eſt; cum autem fit abſtrahactio, nequè negatur, nequè affirmatur id, à quo abſtrahitur; e. g. dum conſidero *rationale*, non conſiderato *riſibili*, non nego *riſibile* de *rationali*.

Ex duobus entibus in actu non fit vnum per ſe. ideſt, ſi ſint entia in actu completo, vt *homo* & *leo*; vel ſi ſint quidem incompleta, ſed non inuicem ſubordinata, vt *forma hominis* & *forma leonis*.

Actiones ſunt ſuppoſitorum. ideſt, à natura vt ſubſiſtente, & vltimò perfecta; quarè actiones Chriſti Domini humanæ

humanæ, ſunt etiam diuinæ, quia ſunt à natura vt completa & perfecta per ſuppoſitum, ſeù Perſonam diuinam.

Opus naturæ opus intelligentiæ. ideſt virtus naturalis ad operandum eſt ſapientiſſimè tributa, quia data eſt à Deo, qui eſt ſumma Sapientia.

Bonum, quo communius, hoc diuinius. ideſt, melius; intellige de bono comparato ad bonum eiuſdem generis: e. g. lumen Solis eſt melius lumine candelæ, quia eſt communius.

Contrariorũ contrariæ ſunt conſequẽtiæ. verum eſt ſecundum id, in quo ſunt per ſe contraria: e. g. *Calor eſt diſpoſitio ad ignem; ergò Frigus non eſt diſpoſitio ad ignem.*

Denominatio deſumitur à potiori. ideſt, in compoſitis deſumitur ab eo, quod eſt principale, ſcilicet à forma.

Eſſentiæ rerum ſunt æternæ. ideſt connexio prædicati eſſentialis cum ſubiecto ſemper verificatur: e. g. ſemper eſt, fuitquè verum, quòd *Homo eſt animal rationale.*

Eſſentiæ rerum ſunt indiuiſibiles. ideſt, ſi fiat in ipſis additio, vel detractio, ſtatim totæ mutantur: e. g. ſi detrahatur ab homine anima, non eſt ampliùs homo

Finiti ad infinitum nulla eſt proportio. ideſt, non datur proportio arithmetica, & perfecta; datur tamen proportio geometrica, & imperfecta; ſic Deo infinito proportionatur intellectus noſter finitus, dum ipſum intelligit.

Nihil eſt in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu.

Poſſibili poſito in eſſe, nullum ſequi inconueniens.

A' priuatione ad habitum non datur regreſſus. intelligitur naturaliter, quandò per priuationem tollitur non ſolùm actus, ſed etiam diſpoſitiones proximæ conſtituentes potentiam; ſic per cæcitatem tollitur non modò actus videndis, ſed etiam diſpoſitiones conſtituentes proximam potentiam, & capacitatem in oculo, ac proptereà naturaliter à cæcitate ad viſum

ſum non datur regreſſus.

Quid quid recipitur per modum recipientis recipitur. ideſt ſecundùm propriam, & naturalem capacitatem recipientis; ſic quia intellectus eſt ſpiritualis, ea, quæ in ipſo recipiuntur debent ſpiritualizari, & à materia purificari.

Singularium non eſt ſcientia. quià cum ſcientiæ non debeat poſſe ſubesſe falſum, debet eſſe de immutabilibus; ſingularia autem ſunt mutabilia.

Cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati.

Nihil volitum, quin præcognitum. quia cum voluntas ſit appetitus rationalis, debet ratio ipſam præcedere.

Negatio eſt malignantis naturæ, ideſt, addita alicui mutat in ſenſum omninò oppoſitum.

Modus operandi ſequitur modum eſſendi.

Fruſtra fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora; ideſt in aſſignandis conſtitutiuis eſſentiæ, illud eſt fruſtraneũ, quo ablato ſeù non intellecto ad huc

manet

manet perfecta ratio & conceptus illius eſſentiæ; ſic ſi definiretur homo *animal rationale bipes*, fruſtra eſſet *bipes*, quia etiam hoc ablato retinetur ratio hominis.

Contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcunt.

Omne quod eſt, dũ eſt, neceſſe eſt eſſe.

Propter quod vnumquodque tale, & illud magis: e. g. ſi propter præmiſſas vera eſt concluſio, præmiſſæ ſunt magis veræ quàm concluſio; ſi propter ignem ſunt calida cætera, ignis calidiſſimus eſt.

Sicut negatio eſt cauſa negationis, ita affirmatio eſt cauſa affirmationis.

Vnius in quantum vnum, vna eſt ſcientia. quia diuerſitas ſcientiarum eſt à diuerſa formalitate obiectorum.

Genus in definitione eſt pars, in diuiſione eſt totum, e. g. dum definitur homo *eſt animal rationale*, animal eſt pars definitionis; dum verò fit diuiſio animalis in *rationale* & *irrationale*, animal eſt totum potentiale, quod in illa membra, tanquam

in

in partes diuiditur.

Nihil appetit id, quod in ſe habet; nec quod ſibi contrarium eſt.

Deus, & natura nihil agunt fruſtra.

Natura non deficit in neceſſarijs, nec abundat in ſuperuacaneis.

Generatio vnius eſt corruptio alterius: ideſt, quoties aliquid naturaliter generatur, fit ex corruptione alterius compoſiti, vt planta ex corruptione ſeminis.

Bonum, & malum ſunt in rebus: verum & falſum in anima.

FINIS

Principiorum & Axiomatum.

Ad Vniuerſam
ARISTOTELIS PHILOSOPHIAM
NOTITIÆ PROEMIALES.

NOtandum I. eſt, Philoſophiæ nomen nihil aliud quàm Sapientiæ ſtudium, ſeù amorem, ſignificare. Eſt autem Philoſophia, diuinarum humanarumquè rerum naturalis cognitio: nam de Deo, vt auctore naturæ, & de humanis, ideſt de ijs, quæ ad benè beatèque viuendum conducunt, præcipuè diſſerit; quarè fuit ab alijs definita; certa & euidens cognitio eorum, quæ ad optimam humanæ vitæ morumquè rationem pertinent

Tres in partes à Platonicis & Stoicis diuiſa ſapienter fuit; nempè in Rationalem, quæ eſt Logica; Naturalem, quæ eſt Phyſica, & Metaphyſica; & Moralem, quæ eſt Ethica: quæ omnes partes ad Dei potiſſimùm contemplationem referuntur, *Qui*, vt inquit Auguſtinus, *eſt rerum creatarum effector, & lumen cognoſcendarum*,

darum, & bonum agendarum. Deus etiã primus Philoſophiæ fuit auctor, qui, cum Adam non ſolùm corpore ſed animo perfectum creauerit (quia & parens & magiſter omnium eſſe debebat) ipſi Philoſophiam, quæ maxima eſt animi perfectio, infudit; iuxta id, quod dicitur Eccleſiaſt. 17. de primis parentibus: *Diſciplina intellectus impleuit illos; creauit illis ſapientiã ſpiritus, & ſenſu impleuit cor eorum; & bona & mala oſtendit illis*.

II. Notandum eſt, quòd ad hoc, vt Philoſophiam facilè aſſequamur, neceſſè omninò eſt vti methodo, ideſt doctrinæ ordine; breuiſſima enim ac tutiſſima ad veritatem via eſt ordo; quarè methodus definiri ſolet, ſermonis ordo ad illuſtrandam veritatem accomodatus.

Methodus alia eſt prudentiæ, alia eſt artis. Methodus prudentiæ continetur præceptis, quæ pro varietate perſonarum, temporum, & locorum, variari debent. Methodus artis, quæ etiam Dialectica nuncupatur, certis & inuariabilibus præceptis continetur.

Diuiditur vlteriùs methodus, in ſyntheticam ſeù compoſitionis, & in analyticam ſeù reſolutionis. Methodus compoſitionis eſt, qua progredimur à ſimplicibus ad compoſita, à partibus ad totum, ab vniuerſalibus ad particularia, à cau-

ſis

ſis ad effectus: e. g. Dialecticus à terminis ad propoſitiones, & à propoſitionibus ad ſyllogiſmos procedit. Methodus reſolutionis eſt è contrà, qua regredimur à compoſitis ad ſimplicia, à toto ad partes, à particularibus ad vniuerſalia, ab effectibus ad cauſas: e. g. Dialecticus reſoluit ſyllogiſmos in propoſitiones, & propoſitiones in terminos.

In methodo tria præcipuè ſeruanda ſunt. Primum eſt, vt res tractandæ ſic diſponantur, vt quæ ſequuntur, ex præcedentibus oriri videantur. Secundum eſt, vt nimia, ſeù minutiſſima rerum diuiſio vitetur, quia intellectus aciem non leuiter obtundit. Tertium eſt, vt longæ digreſſiones vitentur, ſolent enim à veritate non rarò abducere intellectum.

III. Notandum eſt, quod potentiæ rationales, nempè intellectus & voluntas, frequentando ſuos actus acquirunt facilitatem quandam ad operandum, quæ habitus nuncupatur, qui propterea definiri ſolet, qualitas facilitans potentiam naturalem ad operationem ſibi propriam difficilè mobilis à ſubiecto.

Ex habitibus intellectualibus alij ſunt habitus primorum principiorum, alij ſcientiæ, alij ſapientiæ, alij artis; quorum tres priores ſpeculatiuos, vltimum verò, ſicuti & prudentiam, quæ eſt habitus

bitus voluntatis, practicum appellauit Ariſtoteles 6. Metaph. ſub initium.

Habitus primorum principiorum eſt facilitas, qua quis in promptu habet prima principia. Dicuntur prima principia veritates illæ, quæ ſine diſcurſu, & per ſolam terminorũ penetrationẽ ſunt notę: e. g. *Quodlibet eſt, vel non eſt. Omne totum eſt maius ſua parte. &c.*

Habitus ſcientiæ eſt cognitio certa & euidens rei ſcibilis vt ſcibilis eſt per cauſam, vel per effectum, vt ſunt Phyſica, Metaphyſica, Mathematica &c.

Habitus ſapientiæ eſt, per quem iudicamus de rebus per altiſſima principia.

Habitus artis eſt, per quem ex certis & infallibilibus præceptis aliquod opus efficere poſſumus; quarè definitur, ab Ariſtotele, ars eſt habitus cum vera ratione effectiuus; ad differentiam prudentiæ, quæ eſt habitus cum vera ratione actiuus. Diſcrimen inter effectiuum & actiuum eſt, quòd effectiuum tendit ad opus, actiuum verò non ad opus, ſed ad eligendum quod eſt, bonum vel malum homini.

IV. Et vltimo, notandũ eſt quod id, circa quod facultas aliqua, vel habitus verſatur, obiectũ dicitur. Aliud eſt materiale aliud formale. Materiale eſt res ipſa, ſeu materia, quæ attingitur à facultate

vel

vel habitu: formale eſt ratio illa, ſecundum quam attingitur obiectum materiale: e. g. in Medicina obiectum materiale eſt corpus humanum, formale verò eſt ſanabile; quia ipſum conſiderat ſecundũ rationem ſanabilis. Complexum ex materiali & formali dicitur obiectum attributionis.

Rurſus obiectum aliud eſt adæquatum, aliud inadæquatum. Adæquatum eſt, quod tantum patet, quantum patet facultas ſeu habitus. Inadæquatum eſt, quod ad partem tantum facultatis coextenditur, non verò commenſuratur toti facultati ſeu habitui: e. g. ſolus homo non commenſuratur toti Phyſicæ, quia multa alia præter hominem Phyſica complectitur, ideòque homo eſt obiectum eius inadæquatum: è contra ens mobile eſt eius obiectum adæquatum, quia comprehendit omnia, quæ à Phyſica conſiderantur; ideoque tantum patet, quantum patet ipſa Phyſica. Obiectum adæquatum dicitur etiam ſpecificatiuum, quia facultates & habitus deſumunt ab ipſo ſuam ſpeciem ſeu naturam; quarè cum dicitur quòd facultates aut habitus ſpecificantur ab obiectis, intelligendum eſt de obiectis adæquatis, non verò de inadæquatis.

IN VNIVERSAM
ARISTOTELIS
LOGICAM
DISPVTA-
TIONES

In Vniuerſam
ARISTOTELIS
LOGICAM
DISPVTATIO PROEMIALIS

INter quatuor modos ſciendi, qui ſunt definitio, diuiſio, argumentatio, & methodus, primi tres ad omnem veritatem rectè indagandam ſunt omninò neceſſarij, & de ipſis in tota logica tractabimus. Vt autem hoc faciliùs præſtemus, aliqua de natura & obiecto logicæ præmittenda ſunt.

QVÆSTIO I.
Quodnam ſit obiectum logicæ.

LIcet logica, vt videbimus infra, partim practica ſit, partim ſpeculatiua, tamen quia maxima ipſius pars eſt practica, ideò, quodnam ſit obiectum practicæ inquirimus in præſenti. Et quia in facultate diſcurrendi tria potiſſimum occurrunt, videlicet res de quibus diſcurritur, operationes intellectus, & voces, per quas manifeſtantur tùm res tùm

operationes intellectus, propterea tres in hoc puncto ſunt præcipuæ ſententiæ. Prima docet obiectum logicæ eſſe res omnes quatenùs à noſtris cognitionibus nomen accipiunt. Secunda cenſet eſſe ipſas voces, ſeù nomina manifeſtatiua rerum. Tertia ponit pro obiecto operationes intellectus. Thomiſtarum opinio eſt, obiectum logicæ eſſe ens rationis directiuum operationum intellectus, ſeù eſſe ſecundas intentiones. Vt hæc opinio clariùs innoteſcat, notate, quòd intentio duplex eſt, alia formalis, & alia obiectiua. Vtraque diuiditur in primam & ſecundam. Intentio formalis prima eſt cognitio directa, qua primò cognoſcitur obiectum ſecundum naturam & prædicata, quæ ipſi competunt à parte rei: e. g. dum cognoſcitur homo vt rationalis, ſubſtantia, corporeus &c. cognitio hæc dicitur prima intentio formalis. Obiectum verò ſic cognitum vocatur prima intentio obiectiua. Secunda intentio formalis eſt cognitio, qua cognoſcitur obiectum ſecundùm rationes quaſdam, quæ ipſi non competunt ex natura ſua, ſed ſolum attribuuntur ab intellectu cognoſcente: e. g. Homo ex natura ſua nec eſt prædicatum, nec ſubiectum: ſed hæc ſolùm ipſi attribuuntur ab intellectu cognoſcente ipſum; cognitio ergò, qua cogno-

gnoſcitur vt ſubiectum, prædicatum, aut quid ſimile, vocatur ſecunda intentio formalis: Ratio verò illa cognita, nempè prædicatum, ſubiectum, vniuerſale, genus, ſpecies &c. dicuntur ſecundæ intentiones obiectiuæ. Nomine entis rationis hîc intelligunt Thomiſtæ ſecundas intentiones obiectiuas, ideſt vniuerſalia, genus, ſpecies, definitio, diuiſio, prædicatum, ſubiectum &c. His poſitis.

Dico. Obiectum materiale logicæ eſt intellectus; formale eſt recta operatio, ſeù ſyllogismus effectibilis ex eius præceptis.

Probatur prima pars. Illud eſt obiectum materiale logicæ, in quod primò & per ſe logica inducit formam à ſe intentam: ſed intellectus eſt huiuſmodi; ergò eſt obiectum materiale logicæ. Maior patet, tùm ex definitione obiecti materialis ſuperiùs tradita, tùm inductione; nam ideò marmor eſt materiale obiectum ſtatuariæ, quia in ipſum inducit bonam figuram; ferrum eſt materiale obiectum frænifactoriæ, quia in ipſum inducit ſuam formam, & ſic de ſingulis. Minor probatur: nam logicæ forma, vt mox oſtendam, eſt recta operatio: ſed hanc intendit logica inducere in intellectum, nam omnia ſua præcepta ad hoc ordinat, vt intellectus rectè operetur;

 ergò

ergò intellectus eſt materiale obiectum ipſius .

Probatur ſecunda pars; quòd formale obiectum ſit recta operatio : quia in qualibet facultate illud eſt obiectum formale,quod ipſam ſpecificat, & à quauis alia facultate diſtinguit: ſed ſyllogiſmus (ſeù recta operatio effectibilis ex præceptis)eſt huiuſmodi, reſpectu logicæ ; ergò eſt obiectum formale. Maior eſt certa. Minor probatur ; quia quidquid tractatur in logica practica eſt in ordine ad rectas operationes faciendas, quibus habitis eſt contenta , & nulla alia facultas de rectitudine operationum intellectualium agit ; ergò ſyllogiſmus (ſeù recta operatio intellectualis effectibilis ex præceptis) ſpecificat & diſtinguit logicam à quauis alia facultate ; ergò eſt obiectum formale ipſius.

I. Ob. Res rectè cognitæ ſunt obiectum attributionis logicæ; ergò materiale obiectum ſunt res, formale verò recta cognitio. Conſequentia patet ; nam obiectum attributionis eſt conflatum ex materiali & formali. Antecedens probatur : nam illud eſt obiectum attributionis, quo habito logica eſt contenta , quo non habito non eſt contenta : ſed habitis rebus benè cognitis logica eſt contenta, & non habitis, non

non eſt contenta;ergò obiectum attributionis ſunt res rectè cognitæ. Confirmatur; quia Ariſtoteles, in libris Prædicamentorum initio logicæ,agit de omnibus rebus, & in alijs deindè libris de operationibus intellectus; ergò res ſunt obiectum materiale, operationes verò rectæ obiectum formale.

Resp. In primis retorqueo argumentum. Illud eſt obiectum attributionis,quo habito logica eſt cõtenta,quo non habito non eſt cõtẽta: ſed habito intellectu rectè operante logica eſt contenta, & ipſo non habito non eſt contenta;ergò intellectus rectè operans eſt obiectũ attributionis logicæ. In forma conceſſa maiore,diſtinguo minorem; habitis rebus benè cognitis eſt contenta ratione cognitionis rectæ, concedo; ratione rerum, nego minorem & conſequentiam. Logica ergò principaliter & per ſe ſpectat, & intendit intellectum rectè cognoſcentem; & quia omnis recta cognitio terminatur ad aliquam rem, quæ cognoſcitur; propterea verum eſt, quòd habitis rebus benè cognitis eſt contenta logica; ſed hoc non prouenit, quia ipſa habeat pro obiecto res, ſed ſolùm quia circa res, rectè ſuas habet cognitiones; quarè ipsæ res de conſequenti & per accidens, non verò formaliter & per ſe, veniunt in logi-

ca; obiectum autem attributionis non debet ſpectari de conſequenti & per accidens, ſed primò & per ſe. Quo pacto profectò non ſpectantur res cognitæ, cum nullus ſit in logica tractatus de rebus cognoſcendis, ſed ſolùm de dirigendo intellectum ad rectam cognitionem. Ad confirmationem dico, Philoſophum egiſſe in logica de prædicamentis, vt doceret ſignificationem & vſum terminorum ſignificantium res, non verò vt tractaret de ipſis rebus, quas proindè rudi tantùm & imperfecta ratione ibi attingit.

II Ob. quòd obiectum logicæ ſint voces. Definitio, diuiſio, & argumentatio vocalis, ſicuti termini, propoſitiones, &c. ſunt voces conſideratæ à logica, vt rectè diſponantur ad concludendum; ergò voces ſunt obiectum materiale, & recta ipſarum diſpoſitio erit formale.

Reſp. Nego antecedens, quòd logica conſideret aut diſponat voces: conſiderat enim, & diſponit ſolùm intellectum ad rectè operandum, vocibus verò vtitur vt inſtrumentis ad exprimendas operationes directas; quarè vocum diſpoſitio non ad logicam, ſed ad grammaticam ſpectat.

III. Ob. quòd obiectum logicæ ſit ens

rationis

rationis. Logica agit per ſe de ſecundis intentionibus: e. g. de diuiſione, definitione, ſubiecto, prædicato, genere, differentia &c. ergò habet pro obiecto ens rationis.

Reſp. Nego antecedens: nam ſecundæ intentiones conſiderantur à logica ſolùm, quatenus inſeruiunt & ordinantur ad repræſentandas internas intellectus operationes, quæ primò & per ſe intenduntur à logica, ideoquè ſecundæ intentiones ſecundariò & per accidens ſpectantur à logica, ac proindè nequeunt eſſe obiectum attributionis ipſius.

IV. Ob. Obiectum attributionis logicæ eſt recta operatio; ergò operatio eſt obiectum materiale, rectitudo verò formale. Antecedens probatur; quia habita rectâ operatione logica eſt contenta.

Reſp. Nego antecedens: nam obiectum materiale non fit à facultate, ſed ſupponitur: ſic ſtatuaria ſupponit marmor, frænifactoria ferrum, pictoria colores: ſed logica non ſupponit operationes, imò ad faciendas ipſas concurrit cum intellectu per ipſam directo. Rurſùs obiectum materiale debet eſſe aptum perfici, ſeù indifferens, vt in ipſum inducatur formale: ſed operatio non eſt apta

perfici, ſeù non eſt indifferens, vt in ipſam inducatur rectitudo, nam eoipſo quòd operatio prodijt ab intellectu eſt neceſſariò vel bona vel mala, nec vlla operatio poteſt produci, quæ ſit indifferens ad recipiendam rectitudinem, vt eſt manifeſtum; intellectus autem & ſupponitur à logica, & eſt indifferens vt dirigatur, quarè operatio nequit eſſe obiectum materiale, ac proinde obiectum attributionis non erit operatio recta, ſed intellectus rectè operans.

V. Et vltimò ob. Omnia præcepta logicæ eò ſpectant, vt operationes ſint rectæ; ergò rationem operationis conſiderat vt id, in quòd inducat rectitudinem. Confirmatur; nam poſſunt fieri rectæ, vel non rectæ: imò ex non reſtis rectæ; ergò &c.

Reſp. Diſtinguo antecedens; vt operationes ſint rectæ formaliter, nego: conſequenter, concedo. Omnia ergò præcepta tendunt ad dirigendum intellectum, atquè adeò directio formaliter cadit ſupra intellectum, ex quo conſequuntur poſteà, ideſt procedunt operationes, quæ rectæ dicuntur. Ad Confirmationem patet, nam dum operationes rectæ vel non rectæ vocantur, ſignificatur ſolùm, quòd habeant rectitudinem, non in ſe ſed in principio, ideſt

in

in intellectu, à quo proueniunt. Nec eſt verum, quòd operatio non recta fieri poſſit recta, ſed loco operationis non rectæ fieri poteſt alia, quæ recta ſit.

Pro coronide quæſtionis notate, quòd licet etiam omnes aliæ facultates in intellectum ſua inducant præcepta, tamen non habent pro obiecto materiali intellectum, ſicuti habet logica, quia logica inducit præcepta eo fine, vt primò & per ſe dirigat intellectum; aliæ verò facultates intendunt primò & per ſe dirigere peculiares potentias aut obiecta, ab intellectu diſtincta, ſic ſaltatoria vult dirigere pedes, ſtatuaria marmor &c. quarè intellectus reſpectu logicæ eſt ſubiectum directionis, reſpectu verò cæterarum facultatum eſt ſubiectum inhæſionis.

QVÆSTIO II.

Vtrum logica ſit ſcientia?

SVppono logicam rationabiliter diuidi in practicam & ſpeculatiuam. Ratio eſt, quia facultas practica eſt, quæ per ſe primò ad opus faciendum ordinatur: ſed aliqua logica ad faciendum opus nempè operationes intellectus ordinatur, ad hoc enim omnia dialecticæ præcepta tendunt; ergò aliqua logica eſt practica. Rurſùs illa facultas eſt ſpecu-

latiua, quæ eſt gratia ſui, & ſiſtit primò & per ſe in contemplatione veritatis non tendendo ad faciendum opus: ſed datur aliqua logica quæ eſt huiuſmodi, vt eſt logica, quæ demonſtrat talem eſſe naturam & proprietates ſyllogiſmi; ergò datur aliqua logica ſpeculatiua. His ſuppoſitis.

I. Dico. Logica ſpeculatiua eſt verè & propriè ſcientia.

Probatur. Quia ſciētia propriè talis, eſt demonſtratio ſeù clara & euidens cognitio obiecti ſcibilis: ſed logica ſpeculatiua eſt huiuſmodi; ergò eſt ſcientia. Minor probatur: quia logica ſpeculatiua multa demonſtrat, & euidenter oſtendit de natura & proprietatibus ſyllogiſmi: ſed ſyllogiſmus eſt obiectum ſcibile; ergò &c. Minor quoad vltimam partem probatur: quia ſi quid obſtaret quo minùs ſyllogiſmus eſſet ſcibilis, eſſet, quia cum pendeat ab homine liberè operante, non eſt perpetuus & immutabilis ſeù neceſſarius: ſed hoc non obſtat; ergò &c. Minor probatur: quia ſyllogiſmus quoad eſſentiam, ſeù propria prædicata eſſentialia, æquè verificat propoſitiones æternæ veritatis, ſicuti verificat obiectum phyſicæ & mathematicæ, nam æquè verum eſt, neceſſariò ſyllogiſmum in *Barbara* habere concluſionem neceſſariò veram, ac

ens

ens mobile eſſe compoſitum ex materia & forma, & quantitatem eſſe trinè dimenſam; ergò eſt æquè neceſſaria & perpetua eſſentia ſyllogiſmi, ac eſſentia obiectorum in alijs ſcientijs; ergò eſt obiectum ſcibile. Quòd verò logica multa demonſtret de ſyllogiſmo conſtabit ex dicendis.

II. Dico. Logica practica non eſt verè ac propriè ſcientia.

Probatur. Quia ſcientia eſt euidens cognitio ſeù demonſtratio obiecti ſcibilis vt ſcibile eſt: ſed logica practica non eſt huiuſmodi; ergò non eſt ſcientia. Minor probatur: quia logica practica tendit ad operabile vt operabile eſt; ergò non eſt demonſtratio ſcibilis vt ſcibile eſt. Conſequentia probatur: quia quod tendit ad ſcibile vt ſcibile, ſiſtit in pura cognitione veritatis, vt patet tùm ex ipſa notione ſcientiæ, tùm inductione facta per reliquas ſcientias: ſed quod tendit ad operabile non ſiſtit in pura cognitione veritatis, ſed vlteriùs progreditur, nempè ad opus; ergò quòd tendit ad operabile, vt operabile eſt, non tendit ad ſcibile; ergò non eſt ſcientia. Confirmatur. I. quia Ariſt. *6.* Ethic. c. *9.* & *6.* Metaph. ſub initium ait, habitum primorum principiorum, ſcientiam, & ſapientiam eſſe ſpeculatiuos; ergò cum

logica practica non ſit ſpeculatiua, non eſt ſcientia. Confirmatur II. quia ſi logica practica poſſet dici ſcientia, ex eo eſſet, quòd eſt facultas demonſtratiua: ſed hoc non ſufficit; ergò &c. Minor probatur: quia ſi hoc ſufficeret, etiam omnes artes eſſent ſcientiæ, habent enim ſuas quæquè demonſtrationes, iuxta id, quòd ait Ariſtoteles, ars eſt habitus cum vera (ideſt certa & euidenti) ratione effectiuus.

Ex his patet, logicam practicam eſſe propriè artem, nam eſt effectiua ſui operis cum verâ ratione, ideſt ex vi præceptorum infallibilium, quæ præcepta ſunt principa, in quæ ſua opera reſoluit.

I. Ob. contra primam concluſionem. Scientia eſt de æternis & immutabilibus: ſed logica ſpeculatiua eſt de mentis operationibus, quæ ſunt contingentes & mutabiles, cum fiant ab homine liberè; ergò non eſt ſcientia.

Reſp. Conceſſa maiore diſtinguo minorem: mentis operationes ſunt contingentes & mutabiles quoad exiſtentiam, concedo: quoad eſſentiam, nego. Quoad exiſtentiam nihil eſt neceſſarium & immutabile niſi ſolus Deus, qui ità exiſtit, vt non poſſit non exiſtere. At quoad eſſentiam, ideſt quoad connexionem prædicati cum ſubiecto ſunt æternæ & immutabiles

biles etiam creaturæ, quia eſſentialiter & ex propria natura verũ eſt tale prædicatum : v. g. animal rationale connecti cum ſubiecto homo. Sicuti ergò in reliquis ſcientijs, licet earum obiecta quoad exiſtentiam ſint contingentia, tamen quia quoad eſſentiam neceſſaria ſunt, ſpecificant ipſas ſcientias, ità in logicâ ſpeculatiuâ cum ſyllogiſmus quoad eſſentiam ſit neceſſarius, aptus eſt eſſe obiectum ſcientiæ. Quandò autem dicitur, quòd operationes mentis liberè fiunt, hoc verum eſt quoad exiſtentiam, non autem quoad eſſentiam; licet enim ſit in meâ libertate facere, vt exiſtat hic & ille ſyllogiſmus, tamen non pendet à mea libertate, quòd ſyllogiſmus ſit argumentatio conſtans tribus propoſitionibus rectè diſpoſitis &c. id enim habet ſyllogiſmus ex propriâ naturâ & eſſentiâ, & eſt impoſſibile aliter ſe habere.

II. Ob. Quidquid conſiderat logica ſpeculatiua, eſt in ordine ad opus, nempè ad rectas mentis operationes faciendas, non enim poteſt aſſignari aliqua demonſtratio purè ſpeculatiua; ergo non eſt ſcientia.

Reſp. Nego antecedẽs: multa enĩ demõſtrat logica ſpeculatiua, quæ nullo pacto tendunt ad opus. Intereà verò vt id magis innoteſcat, aliquas affero demon-

ſtra-

ſtrationes huius rationis, licet plures aſferendæ ſint in huius operis decurſu. Sit exemplum. Concluſio in *Barbara* optima eſt. Demonſtratur. Quæ ſunt eadem vni tertio ſunt eadem inter ſe: in *Barbara* duæ extremitates idem ſunt vni tertio in præmiſſis; ergò ſunt idem inter ſe in concluſione; ergò concluſio optima eſt. Alia demonſtratio. Concluſio in *Celarent* eſt optima. Demõſtratur. Optimè negatur in concluſione vnum extremum de altero, quoties de medio termino in præmiſſis negatum eſt: ſed in *Celarent* negatũ eſt in præmiſſis vnum extremum de medio termino; ergò optimè negatur de altero in cõcluſione, alioquin quod repugnat conſequẽti, non repugnaret antecedenti.

III. Ob. Logica practica eſt facultas demonſtratiua; ergò eſt ſcientia.

Reſp. Conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; nam ad rationem ſcientiæ non ſufficit eſſe demonſtratiuam, ſed requiritur vt ſit de re ſcibili, ſeù ſpeculabili, nam ſcientia vt ſcientia refertur ad ſcibile, non autem ad operabile; alioquin omnes artes etiam mechanicæ essent ſcientiæ, cum omnes habeant ſuas demonſtrationes peculiares, quas licet nonnulli dicant pertinere ad alias facultates, ſeù ad ſcientias ipſis artibus ſuperiores, tamen hoc ſine fundamento asſerunt,

ſerunt, cum demonſtrationes artis proximè fundentur in præceptis & remotè in primis principijs, quæ diuerſis facultatibus communia ſunt, quod ſanè dici nequit de demonſtrationibus ſcientiarum, quæ nullo pacto reſpiciunt præcepta, ſed ſolùm prima principia; quare Ariſtoteles 6. Ethic. c. 3. diuidens virtutem intellectualem dixit, aliam eſſe ſcientiam & aliam artem, quòd ſane male dixiſſet, ſi vera ratio ſcientiæ poſſet etiã arti ſeù facultati practicæ competere.

Ex dictis liquet, logicam practicam eſſe virtutem intellectualem, cum ſemper ad verum inclinet. Eſt etiam ars, quia ex infallibilibus pręceptis opus ſuum efficit, nempè ſyllogiſmum, de quo quatenùs faciendo tradit præcepta vocatur logica docens, quatenùs verò eadem præcepta exequitur, & ſyllogiſmum facit, logica vtens appellatur.

QVÆSTIO III.

Vtrum logica docens & vtens ſint duo habitus.

Dico logicam docentem & vtentem eſſe vnum & eundem realiter habitum.

Prob. Quia habitus vtens eſt qualitas facilitans intellectum ad vſum, ideſt ad operationes rectas: ſed logica docens id facit

facit ; ergò logica docens eſt habitus vtens. Minor probatur:quia nullum aliud munus eſt aſſignabile logicæ docentis, niſi dirigere intellectum ad rectè operandum: ſed dirigere eſt facilitare, vt per ſe patet; ergò logica docens facilitat intellectum ad rectas operationes; ergò eſt logica vtens.

I. Ob. Qui didicit præcepta, & nondùm vſus eſt ipſis,habet habitum docentem & non vtentem ; ergò iſti habitus diſtinguuntur. Antecedens probatur: quia non producuntur habitus niſi per actus ſimiles; ergò non producitur habitus vtens niſi per vſum;ergò qui nondùm vſus eſt præceptis habet habitum docentem, & non vtentem.

Reſp. Negato antecedenti, diſtinguo ipſius probationem; non producuntur habitus niſi per actus ſimiles ipſis habitibus, concedo ; per actus ſimiles inter ſe,nego. Ad hoc ergò vt plures actus producant habitum, non eſt neceſſe vt illi actus ſint entitatiuè & formaliter ſimiles inter ſe, ſed ſufficit ſi ſint ſimiles habitui, quem debent producere, ideſt vt contineant virtualiter perfectionem ipſius ; actus autem logicæ docentis continent virtualiter perfectionem habitus vtentis ,quia tota perfectio talis habitus eſt facilitare intellectum ad rectè ope-

randum

randum, quam facilitatem vtiquè virtualiter continent ipſi actus docentis; ac proindè poſſunt etiam ipſam producere; imò, vt nuper dixi, de facto producunt; ſi autem talem facilitatem producunt, ſatis conſtant producere habitum vtentem, cum hîc nihil aliud ſit, quàm prædicta facilitas.

Inſtabis. Actus docentis & vtentis ſunt diuerſi, & habenti logicam docentem poſſunt ſupereſſe difficultates ſuperandæ in conficiendo ſyllogiſmo; ergò ex vtroquè iſto capite eſt ponendus habitus vtens diſtinctus à docente, ſicuti ponitur in ſaltatoria, muſica, & ſimilibus.

Reſp. Actus docentis & vtentis eſſe materialiter & entitatiuè diuerſos, non verò quoad virtutem & perfectionem, quæ vna eſt in omnibus, ſcilicet producere facilitatem ad operandum. Habenti logicam docentem poteſt ſupereſſe diffi. cultas in faciendo ſyllogiſmo ex parte materiæ: e. g. ſi agat de phyſica, vel mathematica, poteſt laborare in faciendo ſyllogiſmo propter obſcuritatem talis materiæ, quæ difficultas tolli debet per habitum illius ſcientiæ: At ex parte formæ ſyllogiſticæ nulla poteſt ſupereſſe dif. ficultas. In muſica, ſaltatoria, & ſimi. libus, diuerſus eſt habitus vtens à do. cente, quia pertinent ad diuerſas poten-

cias

tias, quæ ſpeciales propterea difficultates experiuntur; ſic qui habet in intellectu præcepta muſicæ, debet poſtea ſuperare difficultatem moderandæ vocis, quæ ad os pertinet, ac proinde nouus addendus eſt habitus; at in noſtro caſu cum circa eandem potentiam & materiam verſentur præcepta & vſus, nulla eſt neceſſitas ponendi duos habitus realiter diſtinctos, ſed ſatis eſt admittere vnum, qui, quatenùs ſpectat præcepta, docens dicitur, quatenùs ſpectat vſum præceptorum, vtens logica nuncupatur.

QVÆSTIO IV.

Vtrum logica practica neceſſaria ſit ad acquirendas ſcientias.

PRænotandum primò eſt, ad finem aliquem acquirendum poſſe aliquid multipliciter dici neceſſarium. Primò metaphyſicè, & eſt cum ſimpliciter & abſolutè requiritur, ita vt ſine ipſo ſit impoſſibile finem aſſequi: e. g. concurſus Dei eſt metaphyſicè neceſſarius ad conſeruandam creaturam. Secundò phyſicè, & eſt cum abſolutè aliquid poteſt ſine ipſo obtineri, ſed tamen naturaliter non poteſt: e. g. animali ad viuendum eſt neceſſarius phyſicè cibus, quia licet abſolutè, ideſt de potentia Dei abſoluta, poſſit animal viuere ſine cibo, naturaliter

tamen

tamen hoc obtinere non poteſt. Tertiò moraliter, & eſt cum res poteſt quidem naturaliter haberi ſine ipſo, ſed rarò & cum maxima difficultate euenit vt habeatur: e. g. licet naturaliter poſſit haberi ſanitas ex graui morbo ſine medicamento, rarò tamen, & cum maxima difficultate habetur, ac proindè medicamentum eſt moraliter neceſſarium ad ſanitatem in graui morbo recuperandam. Quartò ad melius eſſe, & eſt cum facilè poteſt aliquid ſine ipſo obtineri, ſed cum ipſo faciliùs obtinetur: e. g. facilè poteſt quis rus petere ſine equo, ſed cum ipſo faciliùs petet, propterea equus ad petendum rus eſt neceſſarius ad melius eſſe.

Prænotandum ſecundò eſt, ſcientiam poſſe ſumi dupliciter, ſcilicet vel in ſtatu perfecto, vel in ſtatu imperfecto. Scientia in ſtatu perfecto eſt, cum omnes concluſiones ipſius etiam difficiliores, & remotiſſimas à primis principijs nouimus. Scientia in ſtatu imperfecto eſt, cum aliquas tantùm faciliores, & propinquas primis principijs concluſiones attigimus. His prænotatis.

Dico. Logica practica nullo modo neceſſaria eſt ad ſcientias in ſtatu imperfecto; ad ſcientias verò in ſtatu perfecto eſt neceſſaria moraliter.

Probatur prima pars concluſionis; quia

non

non eſt ars neceſſaria ad id, quod facillimè natura ſuis viribus aſſequitur: ſed ſcientias in gradu imperfecto natura ſuis viribus facillimè aſſequitur; ergò ad illas neceſſaria non eſt ars logica. Maior eſt certa; nam ars datur in ſupplementũ naturæ, ideſt, vt ſuppleat defectus naturæ. Minor probatur; quia natura nullam habet difficultatem in eo, in quo res & forma eſt euidens: ſed in ſcientijs in ſtatu imperfecto res & forma eſt euidens; ergò in ipſis acquirendis natura nullam habet difficultatem. Minor patet; nam ſcientiæ in gradu imperfecto ſunt concluſiones proximę & immediatæ ſuis primis principijs. e. g. Omne totum eſt maius ſuâ parte ergò totus homo eſt maior animâ, eſt ſcientia phyſica in gradu imperfecto, in qua cum ſit euidens res & forma, videlicet connexio concluſionis cum ſuo principio, manifeſtum eſt, abſquè vlla difficultate naturam aſſequi talem, & alias huiuſmodi concluſiones. Idem docet experientia in geometria, arithmetica &c.

Probatur ſecũda pars: quia habere ſciẽtias in ſtatu perfecto, eſt clarè cognoſcere omnium concluſionum etiam remotiſſimarum connexionem cum ſuis principijs: ſed experientia docet, id numquam vel raiò admodum haberi ſine logica

gica

gica, quæ ſola rationem cognoſcendi talem connexionem aperit; ergò ad ſcientias in ſtatu perfecto eſt neceſſaria moraliter logica; quarè Ariſtoteles 4. Metaph. Antiquorum intollerabiles errores tribuit ignorantiæ artis logicæ, & Galenus aduerſus Eraſiſtratum neceſſitatem logicæ hoc dilemmate probat. Vel quodlibet ſequitur ex quolibet, vel non; ſi primum; ergò ex eo quòd coruus ſit niger ſequitur, quòd Eraſiſtratus ſit ſtultus; ſi ſecundum; ergò neceſſaria eſt ars, quæ doceat quid ex quolibet ſequatur, quæ ars eſt logica practica.

I. Ob. Actus ſcientiæ eſt cognitio habita per ſyllogiſmum, cuius bonitas euidenter cognoſcatur: ſed cognoſci nequit niſi per logicam; ergò nullus actus ſcientiæ, atquè adeo nec ſcientia imperfecta poteſt haberi ſine logica. Confirmatur: quia ſciens debet noſſe cauſas propter quas res eſt: ſed hoc docet logica; ergò ſine logica nullo pacto poteſt eſſe ſciens.

Reſp. Conceſſa maiore, nego minorem: nam vbi res eſt euidens, cognoſcitur bonitas ſyllogiſmi per ſolum naturæ lumen, atquè adeò non requiritur ars. Ad Confirmationem dico, eum, qui habet ſcientiam imperfectam cognoſcere cauſas rei, ſeù concluſionis; quæ cauſæ ſunt prima principia lumine naturæ nota.

II. Ob. Potentia neceſſaria non indiget directione in acquirendis ſcientijs: ſed intellectus eſt potentia neceſſaria; ergò non indiget directione in acquirendis ſcientijs; ergò non indiget logicâ. Maior patet; nam potentia neceſſaria non poteſt aliter & aliter agere, alioquin non eſſet neceſſaria.

Reſp. Diſtinguo maiorem: ſi ſit neceſſaria neceſſitate tùm actionis tùm determinationis ad actionem, concedo: ſi nō ſit neceſſaria quoad determinationem actionis, nego maiorem; & diſtincta ſimiliter minore, nego conſequentiam. Dico igitur, quòd intellectus licet ſit potentia neceſſaria, quatenùs non habet libertatem, poſitis omnibus requiſitis, ad agendum vel non agendum, tamen eſt indifferens vt à voluntate determinetur potiùs ad vnum, quàm ad alium operandi modum; imò cum ipſe ſit reflexiuus ſupra ſe, poteſt etiam ſe ipſum dirigere ad operandum, ſicuti dirigit alias potentias v. g. manum ad ſcribendum, pedem ad ſaltandum.

IN

IN PRIMAM
Ariſtotelis Logicæ Partem
Seù
De ſimplici mentis apprehenſione

DISPVTATIO I.

IVxta triplicem intellectus humani operationem, ad quam tota ordinatur logica, tres in partes noſtrum hunc in Ariſtotelem commentarium diuidemus; Et quoniam ex primæ operationis directione reliquarum regula pendet; ſi enim clara & diſtincta fuerit ſimplex apprehenſio, ideſt, ſi res incomplexas, ſeù ſimplices, vt ſunt in ſe, attigerimus, facilè iudicium & diſcurſum clarum & diſtinctum inſtituemus, protereà de ſimplicibus notionibus & terminis hîc agendum ſuſcipimus, quod idem fuit Ariſtotelis intentum in exordio ſuæ logicæ; cum enim noſtras ideas & conceptus primos dirigendos arbitraretur, primo loco prædicamenta ſeù categorias expoſuit, vt terminos rerum omnium ſignificatiuos, ſeù ſimplices omnium rerum apprehenſiones, in quaſdam claſſes ſeù ſumma genera ordinaret, quæ deindè ſumma genera vocauit prædicamenta.

menta. Hæc cum Porphyrius Phœnix natione, apoſtata ex chriſtiano factus, aliquã vellet claritate donare, libellum de quinque vocibus, ſeù de vniuerſalibus ad Chryſaorium ſuum diſcipulum ſcripſit, ex quo cum ad prædicamenta penetranda vtilitatis plurimum hauriatur, propterea primo loco de Porphyrij Isagoge tractabimus.

QVÆSTIO I.

Vtrum voces ſignificent immediatè res, an conceptus loquentis.

CErtum eſt, quòd voces ex placito & inſtitutione hominum, qui ab initio ſe obligarunt mutuò ad eas in tali vel tali ſenſu proferendas, ſignificant res quæ ſunt in mente loquentis, ac propterea tùm res tùm conceptus repræſentant: e. g. hæc vox *panis* eſt ab hominibus inſtituta ad talem cibum ſignificandum, & dum profertur ſignificat talem cibum vt exiſtentem in mente proferentis, ideoquè ſignificat etiam conceptum loquentis. Dubitatur, quid primò, & immediatè ſignificet.

Dico. Voces primò & immediatè ſignificant res, ſecundariò & mediatè conceptus.

Probatur. Quia illud primò & immediatè ſignificant voces, pro quo ſupponuntur

nuntur pro rebus; ergò primò & immediatè ſignificant res. Minor patet; nam voces ad hoc inuentæ ſunt, vt res exprimerentur; ergò ſupponuntur pro rebus. Confirmatur; quia voces ideò ſignificant conceptus, quia hi ſunt manifeſtatiui rerum; ergò primò & immediatè ſignificant res.

Probatur ſecunda pars. Quia ſtatim ac voces audimus, intelligimus loquentem habere conceptum in mente; ergò voces ſunt ſigna conceptuum. Confirmatur; quia ſi voces non eſſent ſigna conceptuum, nullum daretur mendacium; nam ideò datur mendacium, quia loquens non adaptat verba, ſed ea profert contrà conceptum; ergò voces ſunt ſigna conceptuum; non primò & immediatè; ergò ſecundario.

Ob. Ariſtoteles 1. Perhierm. docet, quòd *voces ſunt earum, quæ ſunt in anima* (ideſt conceptuum) *paſſionum notæ*; ergò ſignificant immediatè conceptus.

Reſp. Conceſſo antecedenti nego conſequentiã; licet enim ſignificẽt conceptus animæ, non ſignificent ipſos immediatè, & primariò, ſed mediatè & ſecundariò.

Ex dictis ſequitur, quòd cum voces ſignificent tùm res tùm conceptus, debent eſſe ſignificatiuæ iuxtà noſtrum conci-

piendi modum; qui cum triplex ſit, vt agentes de triplici operatione intellectus diximus, propterea voces etiam in triplici ſunt claſſe; aliæ enim ſimplici apprehenſioni, vt ſunt termini; aliæ iudicio, vt propoſitiones; aliæ diſcurſui, vt argumentationes, correſpondent.

Signum in communi eſt id, quod per ſpeciem ſui, quam noſtris ingerit ſenſibus rem aliam à ſe diſtinctam manifeſtat.

Diuiditur primò ſignum in naturale & morale. Naturale eſt quod ex propria natura ſeù ex intrinſecis ſuis prædicatis rem à ſe diſtinctam manifeſtat: e. g. fumus eſt ſignum naturale ignis, quia ex naturâ ſuâ ipſum habet manifeſtare. Morale, ſeù ad placitum eſt, quod non ex ſe, ſed ex liberâ inſtituentis voluntate rem à ſe diſtinctam manifeſtat: e. g. voces humanæ *panis, lapis* &c. ſignificant res illas non per ſe, ſed quia homines inſtituentes conuenêre illis vti ad tales res manifeſtandas.

Subdiuiditur ſignum morale in ſpeculatiuum & practicum. Speculatiuum eſt, quod purè aliud à ſe diſtinctum manifeſtat. Practicum eſt, quod non ſolùm aliud manifeſtat, ſed cauſat: e. g. chirographũ eſt ſignum ſpeculatiuum ſolutionis pecuniæ, ſacramenta nouæ legis ſunt

ſigna

ſigna practica gratiæ.

QVÆSTIO II.

Vtrum detur à parte rei vniuerſale Platonicum.

VNiuerſale, vt ipſum nomen ſonat, eſt id, quod multis commune eſt, ad differentiam ſingularis, quod vni tantùm competit, vt Petrus &c. Aliud eſt ſimplex, aliud compoſitum: ſimplex eſt, quod vnica exprimi poteſt voce, *vt animal*. Compoſitum eſt, quod pluribus vocibus exprimi poſcit, vt propoſitio vniuerſalis, *omnis homo eſt animal*. Hic non de vniuerſali complexo, ſed de ſimplici ſermo inſtituitur.

Triplici modo poteſt aliquid eſſe vniuerſale. Primò in cauſando, & eſt cauſa, quæ multos poteſt effectus producere: e. g. Deus eſt vniuerſalis in cauſando. Hoc vniuerſale dici ſolet etiam vniuerſale antè multa, ideſt antè ſuos effectus. Secundò in ſignificando ſeù repræſentando: e.g. ſpeculum multos repræſentans. Tertiò in eſſendo ſeù in prædicando, & eſt id, quod vnum eſt in multis: e. g. homo dicitur vniuerſalis in eſſendo ſeù prædicando, quia vna & eadem humanitas eſt in multis indiuiduis. Hoc vniuerſale dicitur propterea vnum in multis, cum vniuerſale in ſignificando dicatur

vnum poſt multa quia ſignum poſterius eſt re ſignificatâ. Cum in huius operis decurſu ſermo erit de vniuerſali, hoc vltimo ſenſu vniuerſale intelligemus.

Plato, vt multi docent, affirmauit dari in rerum naturâ ideas, ſeù naturas quaſdam vniuerſales extra Deum & à ſingularibus ſeparatas, æternas, & immobiles, ad quarum exemplar ſingularia deindè conformarentur tanquam indiuidua cum ſuis ſpeciebus: e. g. præter Petrum, Paulum, & ſingulares homines, dari hominem vt ſic, qui homo eſſet idea vniuerſalis, ſeù forma & ſpecies humana, ad cuius imaginem fierent in tempore ſinguli homines; & idem dicebat de rebus omnibus, nempè ſingularum eſſe & dari ideas. Alij tamen Platonis amantes negant id ſenſiſſe Platonem, voluntquè locutum eſſe de ideis in mente diuina, ideſt, quas Deus rerum omnium artifex habet in ſua mente, iuxtà id, quod dicitur Ioan. 1. *Quod factum eſt in ipſo vita erat*.

Dico. Non dantur ideæ vniuerſales extra Deum à ſingularibus ſeparatæ.

Probatur. Quia impoſſibile eſt quod contradictionem inuoluit: ſed ideæ contradictionem inuoluunt; ergò ſunt impoſſibiles. Minor probatur: quia eſſe ſingulare & non eſſe ſingulare eſt contradictio.

ctio : ſed hoc inuoluunt ideæ ; ergò inuoluunt contradictionem. Minor probatur: quia ideæ eſſent aliquid productum per aliquam actionem determinatam ; ergò eſſent hoc determinatum & non aliud ; ſed hoc eſt eſſe ſingulare ; ergò ideæ eſſent ſingulares : ſed ſimul non eſſent ſingulares , vt patet ; ergò contradictionem inuoluunt.

I. Ob. Res ſunt in ſe ipſis, vt ſunt in cognoſcente : ſed in cognoſcente ſunt vniuerſales præciſæ à ſingularibus ; ergò & in ſe ipſis ſunt vniuerſales præciſæ à ſingularibus. Minor patet: nam in intellectu cognoſcente ſunt animal vt ſic , homo vt ſic , præſcindendo ab indiuiduis , ſcilicet ab hoc , vel illo animali , ab hoc vel illo homine.

Reſp. Nego maiorem ; quia res ſunt in cognoſcente iuxtà modum ipſius cognoſcentis , non verò iuxta propriam naturam , vt fert illud commune axioma , quidquid recipitur per modum recipientis recipitur ; ſic e. g. dum intellectus eodem inſtanti album & nigrum, affirmationem & negationem , eſſe & non eſſe, cognoſcit, ſunt hæc ſimul in cognoſcente, & tamen non ſunt ſimul in ſe ipſis.

II. Ob. Quælibet creatura eſt per participationem , cum ſit ens non à ſe , ſed ab alio ; ergò dantur ideæ, per quarũ participa-

ticipationem ſit quælibet creatura. Confirmatur; quia dantur ſcientiæ, quæ ſunt de obiectis vniuerſalibus: ergò dantur vniuerſalia præter ſingularia.

Reſp. Retorqueo argumentum: quælibet idea eſſet creatura; ergò deberet dari alia idea, ad cuius imaginem & participationem eſſet creata, idemq; valeret de aliâ & aliâ ideâ in infinitum, quod tamen nemo admittet. In forma diſtinguo antecedens; quælibet creatura eſt per participationem Dei ſummi boni, concedo; per participationem ideæ, nego antecedens & conſequentiam. Ad Confirmationem dico, ſcientias eſſe de vniuerſalibus non idealibus, ſed ariſtotelicis, de quibus infra tractabimus.

QVÆSTIO III.

Vtrum detur vniuerſale Stoicum.

STOici, cum quibus Nominales conſentiunt, negant reperiri naturas vniuerſales, ſiuè in ſingularibus, ſiuè extrà ſingularia, docentquè vniuerſale in vocibus & conceptibus tantùm haberi: e. g. res ſignificata per hanc vocem *animal*, non eſt vniuerſalis, eſt tamen vniuerſalis hæc vox, & conceptus, quia & hæc vox & hic conceptus ſignificant omnia animalia. Hæc opinio quoad hanc ſecundam partem de vocibus &

conce-

conceptibus vniuerſalibus vera eſt; at quoad primam, quòd videlicet non dentur naturæ vniuerſales ſignificatæ per voces & conceptus vniuerſales, eſt falſa: Igitur

Dico. Admittendæ omninò ſunt in rebus naturæ vniuerſales.

Probatur. Quia indubitatũ eſt dari ſciẽtias: ſed ſcientiæ verſantur circà res, non verò circà voces & conceptus vniuerſales; ergò dantur res vniuerſales. Minor probatur. Quia ſciẽtiæ verſantur circà illa, de quibus faciunt demonſtrationes: ſed faciunt demonſtrationes de rebus, non verò de vocibus & conceptibus; ergò verſantùt circa res. Minor eſt manifeſta: dum enim animaſtica demonſtrat animam rationalem eſſe immortalem, ſpiritualem &c. non demonſtrat immortalitatem de hac voce *anima*, aut de conceptu per hanc vocem manifeſtato, neque demonſtrat de ipſis ſpiritualitatem; nam neque vox neque conceptus immortales ſunt, ſed ſolùm ſunt ſigna repræſentatiua & manifeſtatiua animæ immortalis & ſpiritualis. Confirmatur: quia vt Ariſtot. 7. Metaph. tex 45. ait: *Dico autem vniuerſale, quod pluribus natura aptum eſt ineſſe*; ſed voces & conceptus non ſunt aptæ pluribus ineſſe, nec de pluribus prædicari; ergò non ſuut vniuerſale de quo

tractant ſcientiæ. Minor patet; nam cum de homine dicitur eſſe animal rationale, illud vniuerſale animal rationale non eſt aptum ineſſe, nec prædicatur de illa voce *homo*; falſum enim eſt, quod illa vox ſit animal rationale, nec etiam verificatur de conceptu, quòd ſit animal rationale; ergò admittenda eſt natura vniuerſalis de qua verificetur animal rationale iuxtà id, quod ait Ariſt. 1. Perhierm. cap. 5. *Rerum enim aliæ ſunt vniuerſales, aliæ ſingulares*. Et ibid. *Dico autem vniuerſale, quod in pluribus prædicari natum eſt, ſingulare verò quod non*.

I. Ob. Vniuerſale eſt vnum aptum prædicari de multis: ſed ſolæ voces & conceptus ſunt huiuſmodi; ergò ſolæ voces & conceptus ſunt vniuerſales. Confirmatur; quia res non ſunt vniuerſales, omnes enim ſunt productæ, atquè ideò ſunt ſingulares, cum actio productiua neceſſariò terminetur ad ſingulare.

Reſp. Conceſſa maiore, nego minorem; nam non ſolùm voces, ſed etiam res, imò res primò & principaliter, voces verò ſecundariò & minùs principaliter prædicantur de multis; voces enim non prædicantur per ſe & ratione ſui, ſed ratione rerum, quas ſignificant, ſic vox *homo* non prædicatur de Petro, Paulo &c. quatenùs vox eſt; nam Petrus & Paulus

non

non ſunt vox, ſed prædicatur de ipſis ratione rei ideſt humanitatis, quam ſignificat ad proindè ipſa humanitas eſt, & prædicatur de ipſis primò, vox verò tantùm vt eſt ſignificatiua humanitatis. Ad confirmationem diſtinguo: res non ſunt vniuerſales quoad exiſtentiam, concedo; quoad eſſentiam, nego. Quoad exiſtentiam producuntur, quia producere eſt exiſtentiam tribuere, & quia pruductio eſt ad ſingularia, propterea quoad exiſtentiam ſunt ſingulares; at quoad eſſentiam non producuntur, ſed æternæ ſunt, ac proindè non ſunt ſingulares.

QVÆTIO IV.

Vtrum detur vniuerſale Ariſtotelicum.

VNiuerſale Ariſtotelicum definiri ſolet, vnum aptum eſſe in multis, & prædicari de multis vniuocè & diuiſim. Primæ particulæ *Vnum aptum eſſe in multis* ſignificant eſſentiam ipſam; *prædicari* verò ſignificat proprietatem eſſentialem; ex eo enim quod vnum poſſit eſse in multis, ſequitur etiam poſse de illis prædicari: *vniuocè* ſignificat ſecundùm idem nomen & ſecundùm eandem omnino rationem: *diuiſim* ſignificat ſingillatim, ideſt quòd poſſit prædicari de pluribus non ſolùm collectiuè, ſed etiàm diſtributiuè acceptis: e. g. Ho-

mo eſt vniuerſale quia prædicari poteſt non ſolùm de omnibus hominibus, ſed etiam de Pietro, Paulo &c. ſingillatim acceptis, quarè vniuerſale ariſtotelicum dicit vnitatem, & diuiſionem. Vnitatis fundamentum eſt ſimilitudo, quam plura indiuidua habent in vno gradu; e. g. Petrus, Paulus &c. ſimiles ſunt in humanitate, ex quo fundamento intellectus habet poſse concipere humanitatem omnibus cõmunem præſcindendo ab indiuiduis. Diuiſionem verò habet vniuerſale, quatenùs natura illa, in qua plura ſunt vnum, ſeù ſimilia, contrahitur per differentias numericas: e. g. humanitas contrahitur per Petrum, Paulum &c. His poſitis.

Dico. Datur verè vniuerſale ariſtotelicum.

Probatur. Quia dantur ſcientiæ: ſed hæ ſunt de vniuerſalibus; ergò dantur vniuerſalia: ſed non dantur vniuerſalia platonica, nequè ſtoica, vt oſtenſum eſt; ergò remanet quòd dentur ariſtotelica. Conſequentia patet; nullum enim aliud vniuerſale ſupereſt aſſignabile niſi ariſtotelicum.

Ob. Si daretur vniuerſale ariſtotelicum, daretur tantum per intellectus operationem: ſed hoc pacto coincidit cum vniuerſali ſtoico; ergo non datur. Se-

quela maioris probatur; quia Ariſtoteles in lib. de Anima dicit: *Vniuerſale aut nihil eſſe, aut eſſe quid anima poſterius*: & 10. Metaph. cap. 1. *Vnum dicitur multipliciter, nempè & continuum, & totum, & ſingulare, & vniuerſale: hæc autem omnia vnum ſunt, quia indiuidua ſunt: illa quidem, nempè continuum, totum, & ſingulare, quia eorum motio vna eſt; vniuerſale verò, quia conceptus vnus*: ergò ſi eſt poſterius animâ, & conceptus vnus, datur tantum per intellectum.

Reſp. Nego ſequelam maioris; ad cuius probationem diſtinguo verba Ariſtotelis; vniuerſale eſt conceptus vnus, quoad vnitatem, concedo; quoad multiplicitatem, nego. Pro huius reſponſionis intelligentia ſciendum eſt, quòd vniuerſale ariſtotelicum cum ſit vnum in multis, ſicuti importat multiplicitatem à parte rei, ità neceſſe eſt, vt vnitatem importet in eâ ratione, quæ multiplicitatem à parte rei non deſtruat, & quia ſi vnitas eius eſſet à parte rei, deſtrueret multiplicitatem: e. g. ſi eſſet à parte rei vna humanitas, vna animalitas, in pluribus hominibus, Petro, Paulo &c. non eſſent plures homines ſed vnus homo, plura non eſſent animalia, ſed vnum animal; ſicuti quia vna eſt in tribus diuinis perſonis Deitas, non ſunt tres Dij, ſed

vnus Deus, ideo vniuerſale dicit vnitatem per intellectum, & multiplicitatem à parte rei, quatenùs intellectus ex vniformitate plurium hominum in eſſe rationalium, repræſentat ſibi naturam illam humanam non conſideratis eius differentijs, ſed præſcindendo ab indiuiduis, quæ natura, ſic per intellectū abſtracta, eſt vna vnitate abſtractionis ſeù præciſionis. In hoc ergo ſenſu dixit Ariſtoteles vniuerſale eſſe poſterius animâ, videlicet ipſum non habere hanc perfectam vnitatem antè animam, ſeù antè operationem intellectus, ſed poſt animam; ideſt per operationem intellectus præſcindentis & abſtrahentis, quòd voluit innuere Philoſophus 5. Metaph. tex 11. dicens, *Ea ſunt vnum, quæ non ſunt diuiſa, & eatenùs ſunt vnum, quatenùs non ſunt diuiſa*: ſed naturæ à parte rei diuiſæ ſunt, nam eſt diuiſa natura Petri à natura Pauli, animalitas hominis ab animalitate equi; ergò non ſunt vnum à parte rei, ſed per intellectum. Poteſt tamen impropriè illa vniformitas plurium à parte rei vocari vnitas fundamentalis.

QVÆSTIO V.

Vtrum à parte rei detur vnitas vniuerſalis?

VNum dicitur, quod eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio. Triplex

Triplex eſt vnitas, videlicet numerica, ſpecifica, & generica. Numerica ſeù indiuidualis eſt, quæ eſt principium numeri, & repetita facit numerum, ſic bis repetita facit binarium, ter repetita ternarium &c. ratio autem indiuidualis, quę vocatur etiam hæcceitas, quia per ipſam natura ſeù ratio ſpecifica determinatur ad hoc indiuiduum, eſt e. g. Petreitas, Pauleitas &c. Vnitas ſpecifica eſt, per quã plura ſolo numero diuerſa conueniunt in gradu ſpecifico; gradus ſpecificus dicitur qui conſtat ex genere & differentiá: e. g. homo eſt gradus ſpecificus, qui conſtat ex animali, quod eſt genus, & ex rationali, quod eſt differentia, in quo gradu, cum conueniant Petrus, Paulus &c. dicuntur habere vnitatem ſpecificam. Vnitas generica eſt, per quam plura ſpecie diuerſa in vno genere conueniunt: e. g. homo & equus ſunt naturæ ſeù ſpeciei diuerſæ, quia tamen conueniunt in animalitate, dicuntur habere vnitatem genericam. Ariſtoteles 6. Metaph. ait *Quæ ſunt vnum numero, eſſe etiam vnum ſpecie, generc, & analogia*, ideſt, in indiuiduo ſeù ſingulari, in quo eſt vnitas numerica, eſſe etiam omnes vnitates ſuperiores: ſic in Petro, in quo eſt vnitas numerica, eſt etiam ſpecifica, quatenus eſt homo; eſt generica, quatenùs eſt ani-

mal

mal, eſt analoga, quatenùs eſt ens, quia de quocumque dicitur prædicatum inferius, dicitur etiam ſuperius: e. g. ſi Petrus eſt hic homo, eſt etiam homo, animal, viuens, corpus, ſubſtantia, ens.

Scotiſtæ conueniunt cum cæteris Peripateticis affirmando naturam vniuerſalem habere à parte rei multiplicitatem numericam, ſed diſcrepant deindè dicentes, non ſolùm dari à parte rei multiplicitatem, ſed etiam vnitatem rigoroſam vniuerſalis: e. g. naturam humanam non ſolùm eſſe multiplicatam numericè in Petro, Paulo &c. per ſuas hæcceitates, ideſt per rationes, per quas in ſingulis dicitur hæc & non alia, ſed independenter ab omni operatione intellectus eſſe vnam vnitate perfectâ & rigoroſâ vniuerſalis in omnibus hominibus.

Dico. Vnitas vniuerſalis non datur in rebus formaliter & rigoroſè antè operationem intellectus, ſed ſolùm datur fundamentaliter.

I. Probatur. Quia non poſſunt eſſe vnum & idem ea, quibus competunt contradictoria: ſed animali quod eſt in bruto, & animali, quod eſt in homine, competunt contradictoria; ergò non poſſunt eſſe vnum & idem. Minor Probatur: quia animal, quod eſt in homine, eſt inſeparabile à rationali; animal, quod eſt in bru-

to

to eſt ſeparabile, imò de facto ſeparatum, & repugnans rationali; ergò competunt ipſis contradictoria. Confirmatur; quia vnum & indiuiſum idem ſunt; ergò ſi eſſet à parte rei vna natura in multis, eſſet in ipſis indiuiſa: ſed nequit eſſe indiuiſa; ergo non eſt propriè vna. Minor probatur; quia ſi eſſet in multis indiuiſa, ſequeretur, quod e. g. multa indiuidua eſſent vnum animal, vnus homo &c. ergo non eſt indiuiſa. Antecedens patet; nam quia diuina natura vna eſt & indiuiſa in tribus perſonis, tres perſonæ ſunt vnus Deus: ergò pariter ſi animalitas vel humanitas eſſet in pluribus indiuiſa, eſſent multi vnum animal, & vnus homo: ſed hoc eſt falſum; ergò non eſt vna in multis à parte rei natura.

II. Prob. Quia quidquid eſt à parte rei, eſt productum: ſed omne productum eſt ſingulare; ergò quidquid eſt à parte rei eſt ſingulare. Minor eſt manifeſta; nam omnis actio productiua eſt hæc determinata actio per hoc, quod ad hunc determinatum terminum tendit, alioquin non poſſet dici hæc actio eſt huius determinatè productiua: ſed natura quælibet à parte rei producta eſt; ergo eſt ſingularis; ergò non datur à parte rei natura vniuerſalis. Confirmatur; quia natura humana e. g. Petri eſt entitas

corporis

corporis & animæ Petri ſimul vnitæ, vel ſaltem eſt totalitas ex his & non aliijs partibus reſultans, in ſententia Scotiſtarum: ſed entitas corporis & animæ Petri, & totalitas ex eis reſultans ità eſt propria Petri, vt nulli alteri competat; ergò non eſt vniuerſalis, ſed ſingularis. Minor eſt euidens; non enim corpus & anima Petri ſunt corpus & anima Pauli, nequè totalitas, quam Scotiſtæ dicunt reſultare ex partibus Petri vnitis, eſt totalitas Pauli, alioquin eſſet exiſtens totalitas Pauli, & Antichriſti, nondum exiſtentibus corpore & animâ Pauli & Antichriſti, quòd eſt abſurdiſſimum. Confirmatur vlterius; quia quòd conuenit naturæ ſecundum ſe, illi ſemper & in quocumque ſtatu conuenit; ergò ſi naturæ ſecundum ſe conueniret eſſe vniuerſalem, ſemper & in quocumque ſtatu eſſet vniuerſalis; ergò natura, vt contracta ad Petrum & ad cæteros ſingillatim, eſſet vniuerſalis; ergò Petrus & Paulus eſſent homo vniuerſalis. Antecedens eſt indubitatum; ex eò enim quòd naturæ humanæ ſecundùm ſe & eſſentialiter conuenit eſſe rationalem, etiam pro vt eſt in Petro, & Paulo eſt rationalis; ergò etiam ſi conueniret ipſi ſecundum ſe vniuerſalitas, eſſet in Petro & Paulo vniuerſalis, ac proindè ſicuti dicitur Petrus eſt eſſentialiter rationalis,
diceretur

diceretur etiam Petrus eſt eſſentialiter homo vniuerſalis: ſed hoc eſt abſurdum, cùm Petrus ſit homo vnus & ſingularis; ergò &c.

I. Ob. Natura e. g. humana eſt vna in Petro & Paulo antè omnem intellectus operationem; ergò datur à parte rei vnitas formalis. Antecedens probatur; quia ſi non eſſet vna natura in Petro & Paulo, ſequeretur, quòd Petrus & Paulus differrent in naturâ ſeù in eſſentiâ: ſed Petrus & Paulus non differunt in naturâ; ergò eſt vna in vtroque natura. Sequela probatur; quia quæ non identificantur in aliquâ ratione, differunt in illâ: ſed Petrus & Paulus non identificarentur in naturâ; ergò differrent in illâ: ſed hoc eſt falſum, quia differre in naturâ eſt differre ſpecie: ſed Petrus & Paulus non differunt ſpecie; ergò non differunt in naturâ; ergò ſunt vnum in naturâ.

Reſp. Diſtinguo antecedens: eſt vna fundamentaliter ſeù vnitate ſimilitudinis, concedo; eſt vna formaliter, nego. Ad probationem negata maiore, nego pariter maiorem ipſius probationis; nã ea, quæ in aliquâ ratione non identificantur, diſtinguuntur quidem in illâ, ſed non propter hoc differunt; quarè notate, quòd aliud eſt diſtingui, aliud differre: diſtingui eſt de alio negari, ſeù cũ

ipſo

ipſo non identificari; differre eſt habere ab alio diſſimilitudinem. Ex eo ergò, quod duo non idētificētur, ſequitur, quòd diſtinguantur; at licet diſtinguantur poſſunt nihilominùs retinere inter ſe ſimilitudinem prædicatorum, & ſic non differre: e. g. etiam in ſententia Aduerſariorum indiuiduatio Petri ſeù hæcceitas nō identificatur cum indiuiduatione ſeù hęcceitate Pauli, & tamen ſunt inter ſe ſimiles; Petrus ergò & Paulus non identificantur quidem in naturâ, ac proindè diſtinguuntur, cum verum ſit naturā Petri non eſſe naturā Pauli; at ex hoc nō benè infertur quòd differant in naturâ ſeù eſſentiâ; quia adhuc ſtante diſtinctione naturarum retinent prædicata ſimilia; nam vtraque natura eſt rationalis &c. per quæ ſit, vt habeant inter ſe vnitatem ſimilitudinis ſeù vniformitatem, quæ dicitur vnitas fundamentalis.

II. Ob. Petrus & Paulus non ſunt duo ſpecie realiter; ergò ſunt realiter vnum ſpecie. Confirmatur: quia Petrus minùs diſtinguitur à Paulo, quàm ab equo: ſed minùs diſtingui eſt habere maiorem idētitatem; ergò Petrus habet maiorem identitatem cum Paulo, quàm cum equo; ergò habet cum Paulo identitatem in ſpecie; ergò datur vnitas ſpecifica in Petro & Paulo.

Reſp.

Reſp. Conceſſo antecedenti, nego cõſequentiam: quia cum ſpecies non detur formaliter à parte rei, Petrus & Paulus neque ſunt duo ſpecie, neque vnum; ſicuti ſi dicerem, Petrus & Paulus non ſunt duo angeli; ergò ſunt vnus angelus, falſa eſſet concluſio quia nullus homo eſt vllo pacto ãgelus. Ad Confirmationẽ nego maiorem; nam Petrus, adæquatè diſtinguitur à Paulo ſicuti ab equo; diſtinctio enim eſt mutua negabilitas duorum in recto, non minùs autem mutuò in recto negantur Petrus & Paulus, quàm Petrus & equus, ſicuti enim verè dicitur Petrus non eſt equus, & è contra, ità veriſſimè dicitur Petrus non eſt Paulus & è contra. Differunt tamen minùs Petrus & Paulus, quàm Petrus & equus, quia Petrus & Paulus conueniunt & in animalitate, & in rationalitate, cum Petrus & equus conueniant ſolùm in animalitate; iſta tamen conuenientia eſt vnitas fundamentalis, ideſt vnitas impropria, non autem vnitas formalis propria & rigoroſa; hoc patet ex eo, quod ſimilitudo eſt eſſentialiter ad alterũ, nemo enim dicitur ſibi ipſi ſimilis; ergò ſimilitudo dicit eſſentialiter plura; ac proindè vnitas ſimilitudinis ſeù fundamentalis eſt impropriè vnitas, potiuſquè vniformitas eſt appellanda.

III. Ob.

III. Ob. Datur à parte rei obiectum ſcientiarum: ſed hoc eſt vniuerſale; ergò datur à parte rei vniuerſale; ergò datur vnum in multis, & conſequenter etiã vnitas. Confirmatur; quia ſi non daretur vnitas e. g. humanæ naturæ à parte rei, non poſſet dici, quod de facto dicitur, Verbum diuinum aſſumpſiſe noſtram naturam; aſſumpſiſſet enim ſuã, & non noſtrã.

Reſp. Conceſſa maiore, diſtinguo minorem: eſt vniuerſale fundamentaliter, concedo; formaliter, nego: ſcientiæ igitur habent vniuerſalia à parte rei pro obiectis, quatenùs conſiderant naturas rerum ſecundùm prædicata eſſentialia non conſideratis indiuiduationibus: e. g. phyſica cõſiderat hominem præcisè qua homo eſt, videlicet ſecundùm prædicata *animal* & *rationale*, non conſiderato an ſit Petrus, Paulus &c. & ſic conſiderat hominẽ quoad eſſentiam, non verò quoad hæcceitatem ſeù exiſtentiam; homo ſic conſideratus dicitur homo vt ſic, ideſt homo vt præcisè acceptus ſecundùm prædicata eſſentialia, & in hoc ſenſu eſt obiectum phyſicæ; hoc autem pacto non eſt vniuerſalis formaliter, ſed ſolùm fundamentaliter. Ad confirmatione dico, Verbum aſſumpſiſſe noſtram naturam, ideſt naturam habentem prædicata eſſentialia noſtræ naturæ conformia, ſeù naturam eius

Idem

ſdē ſpeciei fundamētalis, non verò naturā, quæ ſit vna & eadem rigoroſè cū noſtra; alioquin ſequeretur, quòd ſicuti natura aſſumpta à Verbo fuit infinitè ſanctificata glorificata &c. ità natura Iudæ fuiſſet infinitè ſanctificata & glorificata, quod eſt abſurdum.

IV. Ob. Illud eſt formaliter à parte rei independenter ab intellectu, quod verè mihi repræſento dum cogito: ſed dum cogito mihi repræſento vnam formaliter naturam humanam; ergò natura humana eſt formaliter à parte rei vna. Confirmatur; quia vniuerſale formaliter eſt obiectum intellectus; ergò ſupponitur ab intellectu, alioquin falſa eſſet cognitio illa, qua repræſentatur natura humana vt vna formaliter, ſi verè talis non eſſet.

Reſp. Nego maiorem; nam dum verè cogito, id, quod mihi repræſento, eſt à parte rei, ſed non formaliter, quia, vt alibi contra Platonicos dixi, res in intellectu ſunt ſecundùm modum ipſius intellectus, qui cum habeat modum operandi abſtractiuum, ideſt repræſentandi ſibi naturas præſcindendo ſeù abſtrahendo ab indiuiduis, vnitas talis abſtractionis ſpectat ad modum operandi ipſius, non verò ad ipſas res repræſentatas, quæ, vt verè cognoſcantur, ſatis eſt, ſi ſint à parte rei cum vnitate fundamentali, non verò requiritur

quiritur, vt habeant vnitatem formalem ? Ad Confirmationē, conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: ſupponitur ſecundùm rem ſeù fundamentaliter, concedo; ſupponitur ſecundùm modum repræſentandi ſeù formaliter, nego cōſequentiam. Nec indè ſequitur eſſe falſam cognitionem abſtrahentem, quia cognitio illa non affirmat, nequè negat vnitatem de naturâ, quæ eſt à parte rei, ſed ſolùm conſiderat naturam præſcindendo ab indiuiduis, ideſt, non conſideratis indiuiduis, atquè adeò ipſam repræſentat conceptu, in quo ineſt vnitas, quia non relucet illa multitudo indiuiduorum.

V. Ob. Si vniuerſale non poſſet habere vnitatem à parte rei, ſequeretur, quòd eſſet ens rationis ſeù chymera, atquè adeò quòd obiectum ſcientiarum eſſet chymera: ſed hoc eſt falſum; ergò vniuerſale poteſt habere vnitatem à parte rei. Sequela probatur; quia vniuerſale eſſet natura abſtracta à ſuis differentijs: ſed natura abſtracta à differentijs eſt chymera; ergò &c. Minor probatur; quia natura abſtracta à ſuis differentijs eſt impoſſibilis; ergò eſt chymera.

Reſp. Negata ſequela, diſtinguo minorē ipſius probationis; natura abſtracta intrinſecè eſt chymera, concedo; abſtracta extrinſecè, nego: eſt quidem impoſſi-

abſtracta

bile dari naturam à parte rei, quæ ſit abſtracta intrinſecè à ſuis differentijs: e. g. dari animalitatem, quæ nequè ſit rationalis, nequè irrationalis, ac proptereà negatur à nobis tàm natura platonica, quàm natura ſcotiſtica; at non eſt impoſſibile naturam eſſe abſtractam exſtrinſecè, ideſt per operationem intellectus, qui habet modum operandi abſtractiuum, ideſt, conſiderandi vnum non conſiderato alio identificato; hoc autem pacto natura nõ eſt chymera, ſed eſt natura illa, quæ à parte rei idẽtificata cũ ĩdiuiduis exiſtit in intellectu præciſa ab ipſis.

VI. Et vltimò ob. Non datur à parte rei excluſiuum vnitatis ſpecificæ in naturâ humanâ; ergò natura habet vnitatem ſpecificam. Antecedens probatur; quia excluſiuum vnitatis eſt diuiſio ipſi oppoſita: ſed à parte rei non datur in naturâ humanâ diuiſio ſpecifica, quæ eſt oppoſita vnitati ſpecificæ; ergò non datur à parte rei excluſiuum vnitatis ſpecificæ; ergò natura humana habet à parte rei vnitatem ſpecificam.

Reſp. Negato antecedenti, nego pariter minorem ipſius probationis, quoad hoc, quòd non detur à parte rei diuiſio oppoſita vnitati ſpecificæ; nam diuiſio numerica in naturâ humanâ cum opponatur vnitati, quæ eſt genus ad ſpecificam

cam

cam & numericam, opponitur etiam vnitati tùm ſpecificæ tùm numericæ, ſicuti quod opponitur generi, opponitur ſpeciei: e. g. quod opponitur animali, opponitur etiam ſpeciebus ſub ipſo contentis, vndè valet dici, lapis repugnat animali; ergò repugnat homini, equo &c. iuxta illud principium, quod repugnat conſequenti, repugnat antecedenti; cum ergò diuiſio quælibet opponatur, & excludat vnitatem ſimpliciter, excludit etiam vnitatem tùm ſpecificam tùm numericam, quæcumque tandem diuiſio ſit; quarè in naturâ humanâ per diuiſionem numericam vtraque vnitas excluditur.

Pro complemento quæſtionis notate, quòd Thomiſtæ nobiſcum ſentientes in refellenda vnitate Scotiſtica, dicunt tamen intellectum humanum facere vniuerſale formaliter per hoc, quòd in multis fingat vnitatem: e. g. quia multos homines fingit eſſe vnum hominem. Hanc fictionem nos nullo pacto admittimus; quia fingere vnitatem in multis eſt aliquod impoſſibile ſibi repræſentare de ipſis, cum ſit impoſſibile multa habere vnitatem: ſed intellectus faciendo vniuerſale non ſibi repræſentat impoſſibile, ſed concipit id, quod eſt, nempè naturam, quæ verè à parte rei eſt, non conceptis

eius

eius differentijs, ac proindè non fingit, ſed præſcindendo à differentijs concipit naturam vnam.

QVÆSTIO VI.

Vtrum vniuerſale in actuali prædicatione ſuam amittat vniuerſalitatem.

DIco. Cum vniuerſale de ſingulari prædicatur, ſuam non amittit vniuerſalitatem.

Prob. Quia in actuali prædicatione vniuerſalis de ſingulari remanet vniuerſale cum ſuâ abſtratione; ergò non amittit ſuam vniuerſalitatem. Antecedens probatur; quia ſi non remaneret cum ſuâ abſtractione conceptus vniuerſalis, fieret conceptus ſingularis: e.g. conceptus Animalis fieret conceptus Petri, dum diceretem, *Petrus eſt animal*: ſed hoc eſt falſum; ergò &c. Minor probatur; quia ſi conceptus animalis fieret conceptus Petri, eſſet idem dicere, *Petrus eſt animal*, ac *Petrus eſt Petrus*, fieretquè propoſitio identica: ſed hoc eſt falſum; ergò conceptus animalis non fit conceptus Petri, ac proindè remanet conceptus vniuerſalis. Cōfirmatur; nam actualis prædicatio fit comparando prædicatum cum ſubiecto; ergò in actuali prædicatione prædicatum & ſubiectum non fiunt vnū & idem. Conſequentia patet; nam comparatio

paratio ſit inter plura & diuerſa ; ergò ſubiectum & prædicatũ remanēt diuerſa ; ergò prędicatũ nõ amittit vniuerſalitatẽ.

I. Ob. Illud non remanet vniuerſale, quod includit differentiam numericam: ſed cum e. g. homo prædicatur de Petro, includit differentiam numericam Petri, ſumitur enim pro ipſo Petro ; ergò non remanet vniuerſale.

Reſp. Conceſſa maiore, nego minorem; nam conceptus hominis non includit Petrum, ſed aduenit Petro per actualem prædicationem; nec ſumitur pro Petro, ſed de Petro dicitur, ſi enim ſumeretur pro Petro ly homo, ſignificaret Petrum, atquè adeò eſſet idem dicere *Petrus eſt homo* ac *Petrus eſt Petrus*, quod tamen nemo dicet.

II. Ob. In tali prædicatione homo determinatur ad Petrum ; ergò fit ſingularis. Confirmatur; quia vt prædicatio illa ſit vera, debet prædicatum eſſe idem cum ſubiecto ; ergò debet eſſe ſingulare.

Reſp. Diſtinguo antecedens: homo determinatur ad Petrum extrinſecè, concedo; intrinſecè, nego antecedens & conſequentiam. Licèt ergò homo quoad rem ſit idem cum Petro, tamen quatenùs eſt prædicabilis, ſeù quatenùs eſt in intellectu comparante vnum cum alio, non

non eſt homo idem cum Petro, ſed eſt aliquid, quod de Petro dicitur, atquè adeò aduenit Petro vt quid extrinſecum ipſi Petro, ideòque dicitur extrinſecè determinari ad Petrum; intrinſecè verò conceptus hominis non eſt conceptus Petri, ſed eſt quid commune Petro cum alijs indiuiduis naturæ humanæ. Ad cõfirmatione dico, quòd prædicatum debet eſſe idem cum ſubiecto ſecundùm rem, non autem ſecundùm conceptum ſeù modum prædicandi; nam in modo prædicandi debent venire ſubiectum & prædicatum vt duo, ſeù vt vnum & aliud, atquè adeò conceptus prædicati debet remanere diuerſus à conceptu ſubiecti.

III. Ob. In allata prædicatione prædicatur de Petro id tantùm, quod eſt in Petro: ſed id, quòd eſt in Petro, eſt ſingulare; ergò in allata prædicatione homo eſt ſingularis. Confirmatur; nam vel prædicatur de Petro omnis homo, vel aliquis homo. Si primum, eſt falſa prædicatio; ſi ſecundum, prædicatum amittet vniuerſalitatem.

Reſp. Conceſſa maiore, diſtinguo minorem; quòd eſt in Petro eſt ſingulare, ſecundùm rem, concedo; ſecundùm modum prædicandi, nego. Dum agimus ergò de prædicatione, non eſt accipiendum prædicatum homo prout eſt in re, ſeù

prout eſt à parte rei, ſed prout eſt prædicabile, ideſt quatenùs eſt in intellectu, ſeù ſecundò intentionaliter, in qua acceptione eſt vniuerſale. Ad confirmationē dico, in illa prædicatione non prædicari de Petro omnem hominem, neque aliquem hominem ſed hominem abſtractum & indeterminatum.

QVÆSTIO VII.

Vtrum vniuerſale adæquatè diuidatur in quinque prædicabilia?

1 PRænotādum eſt, quòd cum eſſentia ſignificetur nomine quidditatis, quia interroganti, Quid eſt res? reſpondetur per eſſentiam: e. g. interroganti, Quid eſt homo? reſpondetur per eſſentiam dicendo, eſt animal rationale, propterea quod prædicatur eſſentialiter, dicitur prædicari quidditatiue, ſeù in quid. Cum autem quælibet eſſentia conſtet duobus, videlicet vno communi cum alijs diuerſæ ſpeciei, & altero proprio & peculiari illius ſpeciei. e. g. eſſentia hominis eſt animal rationale; ly animal eſt homini commune cum equo, leone &c. ly ratio nale eſt ità homini proprium, vt nulli alteri competere queat; ſi eſſentia ſumatur quoad vtrunquè, dicitur ſumi completè, & vocatur ſpecies; ſi ſumatur quoad partem communem, dicitur ſumi incompletè

completè genericè, quia pars illa communis vocatur genus; ſi ſumatur ſecundum partem aliam non communem, ſumitur incompletè differentialiter, quia talis pars, per quam res ab omni alia differt, vocatur differentia. Omnibus autem iſtis tribus modis dicitur aliquid prædicari in quid.

II. Prænotandum eſt, quòd cum aliquod prædicatum ineſt ſubiecto per modum formæ adiacentis ipſi, dicitur prædicari de ſubiecto in quale; & quia talis forma poteſt eſſe vel eſſentialis ſubiecto, vt rationalitas eſt eſſentialis homini; vel ipſi ſubiecto accidentalis, vt albedo eſt accidentalis homini; propterea ſi conueniat ſubiecto primo modo, dicitur prædicari de ipſo in quale quid, ſi conueniat ſecũdo modo dicitur prædicari in quale. Rurſùs quod conuenit ſubiecto accidentaliter, vel poteſt conuenire vt quid neceſſariò & indiſpenſabiliter ipſi ſoli competens, vel vt quid ab ipſo ſeparabile, & alijs etiam commune: ſi primo pacto cõueniat, dicitur prædicari in quale neceſſariò: ſi ſecundo pacto competat, dicitur prædicari in quale contingenter; ſic riſibile neceſſariò prædicatur in quale de homine, album prædicatur in quale contingenter de eodem. His poſitis.

Dico. Vniuerſale adæquatè diuiditur in

quinque prædicabilia, nempè genus, differentiam, ſpeciem, proprium, & accidens.

Probatur. Quia vniuerſale eſt vnum aptum eſſe in multis, & prædicari de multis vniuocè & diuiſim, ergò tot ſunt termini vniuerſales, quot modis contingit vnum aptum eſſe in multis, & prædicari de multis vniuocè & diuiſim: ſed hoc quinque modis contingit; ergò quinque ſunt termini formaliter vniuerſales. Minor probatur; quia quodlibet prædicabile vel prædicatur eſſentialiter, vel accidentaliter, ideſt vel in quid, vel in quale: ſi in quid, vel vt pars eſſentiæ communis cum cæteris diuerſæ ſpeciei, & dicitur genus; vel in quid vt pars eſſentiæ non communis cum cæteris diuerſæ ſpeciei, & dicitur differentia; vel in quid completè ſeù vt tota eſſentia, & dicitur ſpecies. Si prædicatur in quale, vel prædicatur vt quid neceſſariò conueniens, & dicitur proprium; vel vt quid non neceſſariò conueniens, & dicitur accidēs commune: ſed nullus alius eſt prædicādi modus; ergò quinque tantū ſūt prædicabilia.

I. Ob. Quintum prædicabile poteſt reduci ad ſpeciem; ergò non ſunt quinque prædicabilia. Antecedēs probatur: quia album e. g. prædicatur de ſubiectis albis vt alba ſunt: ſed vt alba ſunt, continentur vt indiuidua ſub eadem ſpecie albi; ergò

gò album eſt ſpecies: ſed album eſt in quinto prædicabili; ergò quintum predicabile reduci poteſt ad ſpeciem.

Reſp. Negato antecedenti, nego pariter maiorem ipſius probationis; nam album prædicatur de ſubiectis non vt formaliter alba ſunt, ſed tantùm vt ſunt alba materialiter, ideſt prout ſunt materia, ſeù ſubiecta ipſius albedinis, in quo ſenſu non ſunt indiuidua reſpectu albi, ſic nix, lac, homo, & ſimilia, ſunt inferiora albi non vt eius indiuidua, ſed vt ſubiecta ſuſceptiua albedinis, ac proindè album non habet, reſpectu ipſorum, rationem ſpeciei.

II. Ob. Petrum & Paulum eſſe indiuiduum eſt prædicatio vniuerſalis: ſed hæc ad nullum ex quinque aſſignatis reduci poteſt; ergò erunt plura quàm quinque prædicabilia.

Reſp. Nego maiorem; nam ad hoc vt indiuiduum eſſet vniuerſale, deberet poſſe abſtrahi ab omnibus indiuiduis ratio aliqua indiuidui vt ſic: ſed nequit abſtrahi talis ratio, quia ſemper in ipſa elucent differentiæ indiuiduales, ac propterea prædicatio illa *Petrus & Paulus ſunt indiuidua* eſt prædicatio non vniuerſalis ſed tranſcendentalis, quæ cuilibet rei tàm ſubſtantiali, quàm accidentali conuenit.

QVÆSTIO VIII.
Quid ſint vniuerſalia in particulari?

GEnus eſt vnum aptum eſſe in multis & prædicari de multis differentibus ſpecie in quid incompletè, ideſt vt pars potentialis eſſentiæ. Dico vt *pars potentialis*, quia vt docet Ariſt. 7. Metaph. genus ſe habet ad inſtar materiæ corporum phyſicorum; ſicuti enim hæc dicitur pars potentialis, quia poteſt omnes formas recipere, & per ipſas ad hanc aut illam ſpeciem contrahi & determinari, ità genus eſt quædam pars ſeù gradus eſſentiæ, qui poteſt recipere differentias, & per ipſas perfici, contrahi & determinari ad hanc aut illam ſpeciem: e. g. animal poteſt contrahi ad ſpeciem hominis, leonis, equi, recipiendo differentias rationalis, rugibilis, hinnibilis, quas in potentiâ continet, propter quod dicitur etiam totum potentiale.

Ob. Si genus eſſet pars eſſentiæ, nō poſſet prædicari de ſpecie, quæ eſt totū; nulla enī pars rectè prædicatur de toto, quis enim dicat *anima rationalis eſt homo?* & tamen rectè dicitur *homo eſt animal*.

Reſp. Partem in abſtracto non poſſe prædicari de toto: e. g. dici nequit, *homo eſt anima, oculus &c.* at in concreto rectè poſſe prædicari; ſic dicimus, *homo*

mo eſt animatus, *homo eſt oculatus*; cum autem genus ſit veluti quædam pars concreta, animal enim e. g. eſt concretum ex animalitate & ſubiecto ipſius animalitatis, propterea rectè poteſt prædicari de ſpecie.

Ex hac reſponſione intelligite, quòd licèt genus ſit pars eſſentiæ, nihilominùs deſumitur à totâ eſſentiâ phyſicâ inadæquatè acceptâ: nam e. g. animal nequè à ſolâ animâ, nequè à ſolo corpore deſumi poteſt, anima enim ſola animal non eſt, nequè ſolum corpus animal eſt, ſed anima & corpus ſimul animal ſunt; idemque valet de differentiâ, nam e. g. rationale nequè dicit ſolam animam, nequè ſolum corpus, ſed deſumitur ex vtroque ſimul, eſt enim verum, *omne rationale eſt homo*, cum nequè ſola anima, nequè ſolum corpus ſit homo.

Diuiditur genus in ſupremum, infimum, & intermedium. Supremum, eſt quod aliud ſupra ſe non habet, ſed ipſi alia genera ſubijciuntur, vt ſubſtantia cui ſubijciuntur corpus, viuens, animal. Infimum eſt, quod de ſolis ſpecie differentibus prædicatur, vt animal de equo, leone, homine &c. Intermediũ eſt, quod & ſupra & infra ſe aliud habet genus: e. g. viuẽs habet ſupra ſe corpus & ſubſtantiã, & infra ſe animal. Vt patet in ſubiecta figura.

SV-

SVBSTANTIA
Genus ſupremum.

Diuiſiua | *Diuiſiua*

CORPO-REA | INCORPO-REA

Conſtitutiua

CORPVS
Genus intermedium.

Diuiſiua | *Diuiſiua*

ANIMA-TVM | INANIMA-TVM

Conſtitutiua

VIVVM
Genus intermedium.

Diuiſiua | *Diuiſiua*

SENSITI-VVM | INSENSITI-VVM

Conſtitutiua

ANIMAL
Infimum genus.

Diuiſiua | *Diuiſiua*

RATIONA-LE | IRRATIONA-LE

Conſtitutiua

HOMO
Species.

PETRVS
Indiuiduum.

Differentia eſſentialis ea eſt, per quam res differunt ſecundùm eſſentiam: e. g. rationale eſt differentia eſſentialis hominis, per quam homo eſſentialiter differt à cæteris omnibus rebus. Definitur autem ſic; eſt vnum aptum eſſe in multis, & prædicari de multis in quale quid vniuocè & diuiſim. Tria ſunt differentiæ munera, Primum eſt diuidere genus ipſum determinando & contrahendo ad ſpeciem: e. g. rationale diuidit animal, & ipſum determinat ad ſpeciem hominis. Secundum eſt cum genere conſtituere ſpeciem, ſic rationale ſimul cum animali conſtituit ſpeciem hominis. Tertium eſt diſtinguere ſpeciem à quacumque alia.

Duplex eſt claſſis differentiarum, aliæ enim ſunt genericæ, quæ ſubalternæ dicuntur, vt corporeum, quod diuidit ſubſtantiam; viuens quod diuidit corporeum, & hæ prædicantur de multis differentibus ſpecie. Aliæ ſunt ſpecificæ ſeù infimæ, quæ prædicantur de multis ſolo numero differentibus: e. g. rationale prædicatur de ſolis hominibus, qui numericè tantùm differunt. Omnium tamen differentiarum cum ſit eadem ratio formalis, quia omnes prædicantur de multis in quale quid, propterea vnum & idem prædicabile conſtituunt. Porphyrius va-

rijs

rijs definitionibus differentiam explicare voluit, inter quas eſt illa præcipua, *eſt id quod prædicatur de multis ſpecie differentibus in quale quid*, ſed cum ſolis differentijs ſubalternis competat, adæquata non eſt. Aliæ quoquè ab ipſo allatæ ſunt ſatis incongruæ, ac proptereà retinenda eſt ea, quæ à nobis initio allata eſt.

Species eſt vnum aptum eſſe in multis & prædicari de multis in quid completè. Dicitur completè; ideſt vt tota natura conſtans genere, & differentiâ. Optima eſt hæc definitio, quia complectitur omnem ſpeciem ſiuè infimam, ſiuè ſubalternam. Species infima ſeù athoma eſt, quæ de pluribus ſolo numero differentibus prædicatur: e. g. homo de Petro, Paulo &c. circulus de hoc & illo circulo &c. Subalterna eſt, quæ de pluribus ſpecie differẽtibus prædicatur: e. g. viuẽs ſenſitiuũ de homine, equo &c. Animal enim, vt contrahit viuens, eſt differentia viuentis, ac proinde ex viuenti, quod eſt genus, & animali, quod eſt differentia ipſius, conſtituitur viuens ſenſitiuum, quod eſt ſpecies ſubalterna. Species vt ſubijcitur generi, ſeù vt de ipſa prædicatur genus, dicitur ſubijcibilis; at in hoc ſenſu accepta non conſtituit vniuerſale, quia, vt diximus, vniuerſale ſeù prædicabile non

con-

conſtituitur in ordine ad ſubiectionē ad ſuperiora, ſed in ordine ad prædicabilitatem de inferioribus; vndè definitur, vnū aptum eſſe in multis & prædicari de multis &c. ideſt de inferioribus. Species vt ſua reſpicit inferiora, dicitur prædicabilis, & in hac acceptione conſtituit vniuerſale. Illa inferiora dicuntur indiuidua.

Indiuiduum eſt natura ſingularis, ſic dicta, quia non poteſt diuidi in inferiora, vt diuiduntur vniuerſalia: e. g. Petrus eſt indiuiduum, quia non habet inferiora, in quæ diuidatur, ſeù de quibus prædicetur. Duplici pacto accipi poteſt indiuidū, ſcilicet primò intentionaliter, & ſecūdò intentionaliter. Primò intentionaliter explicatur à Porphyrio ſic, *Eſt id, quòd conſtat ex proprietatibus, quarum collectio nunquam in aliquo alio eadem eſſe poteſt*; huiuſmodi proprietates ſunt ſeptem hoc verſiculo expreſſæ:

Forma, figura, locus, ſtirps, nomen, patria, tempus.

Secundò intentionaliter explicatur ab eodem ſic, *eſt id, quod de vno tantùm prædicatur*, ſeù eſt, id de quo prædicatur ſpecies. Si indiuiduum ſumatur vt nomine aliquo proprio exprimitur, vocatur determinatum, vt Petrus. Si verò nomine appellatiuo exprimatur, vt aliquis homo, dicitur vagum; nunquam

tamen

tamen eſt vniuerſale, quia etiam vagè ſumptum ſemper aliquam naturam particularem includit, vndè fit vt non ſit vniuerſalis hæc propoſitio *Aliquis homo eſt animal*, quia eius ſubiectum, vtpotè indiuiduum, vniuerſale non eſt, ſed particulare.

Proprium dicitur id, quod eſt extrà eſſentiam rei, ſed ipſam neceſſariò & inſeparabiliter comitatur, vndè dixit Ariſtoteles, quòd proprium debet reciprocari, ſcilicet dici ad conuertentiam cum ſuo ſubiecto, ideſt cum eo gradu eſſentiæ cuius eſt proprium: e. g. riſibile eſt proprium hominis, ideoquè cum ipſo reciprocatur dicendo, *Eſt homo, ergò eſt riſibilis; Eſt riſibilis, ergò eſt homo*. Definiri proprium ſic poteſt; eſt vnum aptum eſſe in multis & prædicari de multis vniuocè & diuiſim in quale neceſſariò ſeù conuertibiliter.

Quatuor modis accipitur proprium. Primo modo eſt, quod ſoli naturæ conuenit ſed non omni, vt eſſe philoſophum ſoli conuenit naturę rationali, ſed non omni. Proprium ſecundo modo eſt, quod conuenit omni illi naturæ, ſed non ſoli, vt eſſe bipedem conuenit omni homini, ſed non ſoli. Proprium tertio modo eſt, quod conuenit ſoli & omni illi naturæ, ſed non ſemper: e. g. dormire conuenit

ſoli

ſoli & omni animali, ſed non ſemper. Proprium quarto modo eſt, quod conuenit omni ſoli & ſemper, vt eſſe riſibile conuenit omni ſoli & ſemper homini. Nomine autem riſibilis non intelligimus ipſum actualem riſum, ſed virtutem ſeù facultatem ridendi. Proprium dicitur accidens, non quia intrinſece non ſit ſubſtantia, ſed quia eſt extrà eſſentiam, quæ conſtat ſolis genere & differentiâ.

Accidens commune eſt, quod poteſt abeſſe aut adeſſe à ſubiecto ſine ipſius corruptione; ſeù, eſt vnum aptum eſſe in multis & prædicari de multis vniuocè & diuiſim in quale contingenter: e. g. albedo, pallor, rubor, in facie hominis ſunt accidentia communia, quia prædicantur de homine in quale contingenter, ideſt, poteſt homo eſſe homo, etiamſi albus, pallidus, aut rubicundus non ſit; cum nequeat eſſe homo, quin ſit riſibilis. Dum autem dicitur hoc accidens ſeparari poſſe à ſubiecto, non intelligitur de ſeparabilitate phyſica, ſed de logica, quatenùs haberi poteſt adæquatus conceptus rei, & proprietatum ipſius, etiamſi non habeatur conceptus ſeù ratio talis accidentis, imò etiamſi negetur tale accidens de ſubiecto: e.g. habetur adæquatus conceptus hominis & proprietatum ipſi-

us

tus ſi concipiatur animal rationale riſibile, & non concipiatur, imò etiam negetur de ipſo albedo, nigredo, doctrina &c. vno verbo dicitur accidens commune illud, quod nequè ad eſſentiam, nequè ad ſubſtantiam rei intrinſecè pertinet.

QVÆSTIO IX.

Quid & quænam ſint antepr ædicamenta?

CVm de prædicamentis vellet Philoſophus agere, aliqua cenſuit præmittenda, quibus clarior talis explicatio fieret, quæ propterea antepradicamenta nuncupauit; ſunt autem, vniuoca, æquiuoca, analoga, duplex rerum diuiſio, & duplex regula; quæ omnia iam declarabuntur.

Vniuoca ſeù ſynonima ſunt ea, quorum nomen commune eſt, & ratio eſſentiæ ſecundùm nomen eſt eadem: e. g. animal eſt vniuocum, quia eſt commune nomen, equo, leoni, homini &c. & ratio ſignificata per nomen eſt eadem in omnibus inferioribus, nàm tàm in equo, quàm in leone, homine &c. principium ſentiendi eſt idem, ideſt æqualiter ipſis conuenit.

Æquiuoca ſunt ſeù homonyma ea, quibus nomen commune eſt, ſed ratio eſſentiæ nomini reſpondens eſt diuerſa: e. g. canis eſt æquiuocus terminus, quia

hoc

hoc nomen eſt commune cani cœleſti, terreſtri, & marino, ratio vero per ipſum ſignificata eſt in ipſis diuerſa.

Analoga ſunt, quorum nomen commune eſt, ratio vel ò eſſentiæ partim eadem partim diuerſa, ideſt ratio per nomen ſignificata eſt quidem in illis diuerſa, ſed habent inter ſe aliquem ordinem ſeù conuenientiam: e. g. ſanum eſt analogum, quatenùs dicitur de animali & de medicinâ, nàm in animali ſignificat rectam humorum temperiem, in medicinâ ſignificat virtutem cauſatiuam talis temperiei, quæ quidem diuerſa ſunt, ſed tamen habent inter ſe quẽdam ordinem & conuenientiam, quatenùs eſt eadem ſanitas, quæ poſſidetur ab animali, & quæ cauſatur à medicinâ.

Diuiduntur analoga in analoga attributionis, & proportionis. Analoga attributionis ſunt, quæ dicuntur de pluribus cum ordine vel vnius ad alterum, vel plurium ad vnum: e. g. ſanum, prout dicitur de animali & medicinâ, dicit ordinem vnius nempè medicinæ ad alterum nempè animal; prout dicitur de medicinâ, cibo, pulſu, & animali, dicitur per ordinem multorum ad vnum, videlicet medicinæ, cibi, & pulſus, ad animal. Illud vnum ad quod alia ordinantur, vt animal, ad quod ordinantur me-

dicina cibus & pulſus, dicitur principale analogatum, reliqua verò, vt medicina, cibus, & pulſus, dicuntur minùs principalia analogata.

Analoga proportionis ſunt, quorum nomen commune eſt ob ſimilitudinem rationum ad diuerſos terminos: e. g. ratio fontis eſt analoga proportionis reſpectu ſolis & cordis, quia ſicuti ſol eſt fons lucis, ità cor eſt fons vitæ. Proportio duplex eſt, alia arithmetica, & alia geometrica. Arithmetica eſt, cum inter plures quantitates vel numeros reperitur idem interuallum ſeù exceſſus: e. g. vt ſe habet 2. ad 4. ita 4. ad 6. eſt enim inter 2. & 4. interuallum 2. quod idem interuallum eſt inter 4. & 6. Geometrica eſt, cum inter quantitates vel numeros non reperitur idem exceſſus ſeù interuallum, ſed tantùm ſimile: e. g. vt ſe habet 2. ad 4. ità 3. ad 6. licet enim quaternarius ſui dimidio ſuperet binarium, ſicuti ſenarius ſui dimidio ſuperat ternarium, tamen non eſt idem interuallum, nàm 4. ſuperat 2. interuallo binarij 6. ſuperat 3. interuallo ternarij.

Non ſunt hîc omittenda denominatiua ſeù paronyma, quæ ſunt illa, quæ à priori aliquo vocabulo & ſignificatione deducuntur, vt album ab albedine, doctum à doctrina &c. Ipſum concretum

e. g.

e. g. album, doctum &c. dicitur denominatiuum; abſtractum verò, vt albedo, doctrina, vocatur forma denominans. Si huiuſmodi forma ſit intrinſeca ſubiecto, denominatio eſt intrinſeca, vt quando paries denominatur albus ab albedine, quæ in ipſo exiſtit; ſi verò ſit extrinſeca, vt quando paries denominatur cognitus à cognitione, quæ non eſt in ipſo, ſed in cognoſcente, denominatio exſtrinſeca dicitur.

Ex duabus diuiſionibus, quas hîc tradidit Phyloſophus, prima eſt termini in complexum, & incomplexum. Dicitur complexus, qui ex pluribus conſtat, vt animal rationale. Incomplexus eſt, qui ex vno tantum conſtituitur, vt animal: hoc notauit Ariſtoteles, vt præmoneret in categorijs, de quibus erat mox acturus, non habere locum terminos complexos, ſed ſolùm incomplexos.

Secunda diuiſio eſt eorum, quæ ſunt, I. alia de ſubiecto aliquo dicuntur, & non ſunt in ſubiecto: II. alia ſunt in ſubiecto, & non dicuntur de ſubiecto: III. alia dicuntur de ſubiecto & ſunt in ſubiecto: IV. alia denique nec ſunt in ſubiecto, neque dicuntur de ſubiecto. Primum huius diuiſionis membrum ſignificat ſubſtantias vniuerſales, quæ non ſunt in ſubiecto, quia cum ſubſtantia quælibet ſit

ens

ens per ſe ſubſiſtens, non eſt in alio, id enim proprium eſt accidentis, quod ſine ſubiecto exiſtere naturaliter nequit, ac propterea dicitur entis ens, ſeu ens in alio: ſubſtantia tamen vniuerſalis e. g. animal, prædicatur de ſubiecto e. g. de Petro &c. Secundum membrum accidentia ſingularia ſignificat, quæ licet ſint in ſubiecto, quod ipſa ſuſtentat, tamen non ſunt prædicabilia de illo; ad hoc enim vt aliquid ſit prædicabile, debet eſſe vniuerſale, non verò ſingulare, vt dictum eſt de prædicabilibus. Tertium membrum ſignificat accidentia vniuerſalia, vt albedo, color &c. quæ vt accidentia neceſſariò ſunt in ſubiecto, & vt vniuerſalia ſunt prædicabilia de ſubiecto. Quartum membrum ſignificat primas ſubſtantias, ideſt ſingulares, vt Petrus, Paulus &c. quæ neque ſunt in ſubiecto, quia ſubſtantiæ ſunt, neque ſunt prædicabiles de ſubiecto, quia vniuerſales non ſunt; quarè ſenſus præfatæ diuiſionis breuiter eſt: Omnia ſunt, vel ſubſtantiæ vniuerſales, vel accidentia ſingularia, vel accidentia vniuerſalia, vel ſubſtantiæ ſingulares.

Duas item regulas hîc ſubdit Philoſophus. Prima eſt: Quoties vnum dicitur de altero tanquàm de inferiori, quæcumque dicuntur de prædicato, dicuntur etiam

tiam de ſubiecto, ideſt, quod conuenit termino ſuperiori ſeù magis vniuerſali, conuenit etiam termino inferiori ſeù minùs vniuerſali: e. g. quod couenit animali, conuenit homini. Secunda regula eſt: Diuerſorum generum & non ſubalternorum, diuerſæ ſunt ſpecie differentiæ: generum ſubalternorum nihil prohibet eaſdem eſſe differentias; cuius ſenſus eſt. Genera diuerſa, quorum vnū non ſubalternatur alteri, non habent eaſdem differentias, ſed diuerſas ſpecie: e. g. animal & ars ſunt duo genera, quæ non ſubalternantur, ac proindè nequit animal diuidi iiſdem differentijs, quibus diuiditur ars; animal enim diuiditur per differentias rationalis & irrationalis, ars verò per differentias liberalis & non liberalis. Si verò genera ſubalternentur, vt animal, quod ſubalternatur viuenti, poſſunt diuidi iiſdem differentijs: e. g. ſi animal diuiditur in rationale & irrationale, viuens quoquè diuidi poteſt in rationale & irrationale.

QVÆSTIO. X.

Quid & quot ſint categoriæ ſeù prædicamenta?

PRædicamentum eſt recta ſeries generum & ſpecierum ſub aliquo ſupremo genere contentorum de prima ſubſtantia

ſtantia prædicabilium. Dicitur *rectè* quia differentiæ non ſunt in prædicamento directè, ſed indirectè, ac propterea in arbore porphiriana non ponuntur in ſtipite, ſed à latere velut in ramis. Dicitur, *de prima ſubſtantia prædicabilium*, vt innoteſcat diſcrimen inter prædicabile & prædicamentum, videlicet quòd prædicabile ad multa tendit, prædicamentum ad primã ſubſtantiam ideſt ad vnum, ſeù ad ſingulare ſpectat.

Dico. Rectè ab Ariſtotele decem aſſignantur categoriæ ſeù prædicamenta, nempè, ſubſtantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, paſſio, vbi, ſitus, quandò, & habitus.

Probatur. Quià tot ſunt prædicamenta, quot ſub ſupremo genere ſunt genera & ſpecies de prima ſubſtantia prædicabiles; ſed hæc ſunt decem; ergò prædicamenta ſunt decem. Minor probatur; quia de Petro e. g. prædicatur quòd ſit ſubſtantia, & ſic habetur primum prædicamentum; quòd ſit longus, & latus, & ſic habetur ſecundum; quòd ſit doctrina, albedine, vel nigredine prædictus, & habetur tertium; quòd ſit pater, filius, ſeruus, dominus &c. & habetur quartum; quòd ſit loquens, ambulans &c. & habetur quintum; quòd ſit patiens, & habetur ſextum; quòd

ſit

ſit in tali vel tali loco, & habetur ſeptimum; quòd ſit iacens, ſedens &c. & habetur octauum; quòd ſit hoc aut illo tempore, & habetur nonum; quòd ſit armatus, veſtitus &c. & habetur decimum; ergò rectè decem aſſignantur prædicamenta.

QVÆSTIO XI.
Quid ſint categoriæ in particulari?

SVbſtantia latè accepta ſeù impropriè cuiuſlibet rei eſſentiam ſignificat, in quo ſenſu etiam accidentia ſuam habent ſubſtantiam. Strictè verò accepta eſt ens per ſe ſubſiſtens, ideſt nullius auxilio egens ad hoc vt ſuſtentetur. Si verò categoricè accipiatur, definiri ſolet, eſt ens creatum per ſe completè ſubſiſtens. Ex hac definitione colligi poteſt, hoc in prædicamento non collocari ſubſtantias incompletas, vt animal, &c. ſed completas tantùm, vt homo &c.

Diuiditur ſubſtantia in primam & ſecundam: prima eſt ſingularis vt Petrus, Paulus &c. ſecunda eſt vniuerſalis, vt animal, homo &c. indiuidua dicuntur primæ ſubſtantiæ, ſeù magis ſubſtantiæ, quià in linea prædicamentali ſubſtant ſecundis ſubſtantijs, & ſubſtant etiam omnibus alijs prædicamentis, vt quantitati, qualitati &c. hoc docuit Philo-

lophus

ſophus his verbis: *Amplius primæ ſubſtantiæ, eò quod alijs omnibus ſubijciuntur & omnia alia de illis prædicantur, vel in ipſis ſunt.*

Proprietates ſubſtantiæ ſunt præcipuè tres. I. Quòd non habeat contrarium, quia cum contrarietas reperiatur inter ea, quæ ab eodem ſubiecto ſe mutuò expellunt, ſupponit quòd ea, quæ ſunt contraria, ſint in ſubiecto cui inhæreant, quòd vtique non poteſt conuenire ſubſtantiæ, alioquin non eſſet ſubſtantia, ideſt non eſſet per ſe ſubſiſtens, ſi in alio inhæſiuè eſſet. II. Subſtantia non ſuſcipit magis & minùs, ideſt non poteſt intendi, ſicuti intenduntur qualitates: e. g. de calido fit magis calidum, at de homine nō poteſt fieri magis homo. III. Quòd ſubſtantia eſt ſuceptiua contrariorum: e. g. idem homo eſt modo calidus, modò frigidus.

Ob. contra prædicta. I. Non probatur dari ſubſtantiam, ſed ſine fundamento ſupponitur. II. Malè dicitur ſubſtantia per ſe ſubſiſtens, quia natura humana Chriſti ſubſtantia eſt, & tamen non ſubſiſtit per ſe, ſed in alio, nempè in ſuppoſito diuino. III. Subſtantia ſecunda eſt in prima; ergò ſubſtantia eſt in ſubiecto. IV. Dicitur quòd ſubſtantia prima eſt magis ſubſtantia quàm ſecunda; ergò ſuſcipit

pit

pit magis & minùs. V. Ignis eſt aquæ contrarius; ergò ſubſtantia contrarium habet.

Reſp. ad I. eſſe euidens dari ſubſtantiam, quia eſt euidens dari indiuidua e. g. Petrũ, Paulum &c. quæ non ſubſiſtunt in alio, ſed ſubſiſtunt per ſe: ſed nomine ſubſtantiæ nihil aliud intelligimus, niſi quod ſubſiſtit per ſe; ergò datur ſubſtãtia. Ad II. dico, quòd natura humana Chriſti eſt in ſuppoſito diuino, non vt accidens in ſubiecto, atquè adeò eſt per ſe ſubſiſtens, quia ſubſiſtere per ſe eſt non esſe in alio inhæſiuè, ſeù vt in ſubiecto ſuſtentante, quòd ſanè competit naturæ humanæ Chriſti, quæ non inhæret Verbo, ſed ſoppoſitatur à Verbo, ſeù completur in eſſe ſuppoſiti. Ad III. dico, quòd ſubſtantia ſecunda eſt in prima vt in ſubiecto attributionis, non verò vt in ſubiecto inhæſionis; & ſicuti per hoc quòd rationale ſit in Petro, non tamen dicitur eſſe accidens, quia eſt in Petro eſſentialiter, ſeù tanquam intrinſecum Petri conſtitutiuum, ità ſubſtantia ſecunda e. g. genus *animal*, cum ſit in prima vt quid eſſentialiter & intrinſecè ipſam conſtituens, propterea non eſt accidens. Ad IV. dum dicitur ſubſtantiam primam eſſe magis ſubſtantiam quàm ſecundam, non eſt ſenſus, quòd ſubſtantia

prima ſit magis intenſiuè ſubſtãtia quàm ſecunda, ſed ſignificatur, quòd magis ſubſtet tùm accidentibus tùm ipſis ſubſtantijs ſecundis; e. g. Petrus ſubſtat accidentibus loci, temporis, motus, &c. quibus non ſubſtat homo vt ſic. Rurſus Petrus in arbore porphiriana ſubſtat generibus & ſpeciebus, quæ ſunt ſubſtantiæ ſecundæ, ac proindè dicitur magis ſubſtantia non ab intenſione ſubſtantiæ in ipſo, ſed à magis ſubſtãdo. Ad *V.* ignis eſt contrarius aquæ ratione accidentium videlicet caloris & ſiccitatis, quæ expellunt ſe mutuò cum frigiditate & humiditate aquæ, non verò ratione ſubſtantiæ.

Quantitas eſt accidens, per quod reſpondetur ad interrogationem quot vel quantum. Ad quot reſpõdetur per quãtitatem diſcretam: ad quãtum per quantitatem continuam. Diſcreta dicitur, cuius partes communi vinculo non copulantur, vt numerus. Continua eſt, cuius partes communi vinculo copulantur, vt moles ĩ ligno, & alijs corporibus. Vtraque rursùs quantitas in permanentem & ſucceſſiuam diuiditur. Permanens eſt cuius omnes partes ſimul exiſtunt; ſucceſſiua eſt, cuius partes in fluxu ſunt poſitæ, vt motus, tempus, oratio.

Proprietates quantitatis ſunt, non habere

bere contrarium; non ſuſcipere magis & minùs; & eſſe rationem, propter quam res æquales vel inæquales dicuntur.

Qualitas eſt accidẽs abſolutum, quod ſubſtantiam determinat: per ly accidens differt à ſubſtantiâ; per ly abſolutum differt à ſeptem vltimis prædicamentis, quæ ſunt reſpectiua; per ly determinat differt à quantitate, quæ non determinat, ſed extendit ſubſtantiam.

Relatio eſt habitudo vnius ad aliud; quarè Ariſtoteles Cap. ad aliquid, ait: *Relatiua ſunt, quibus hoc ipſum eſt eſſe, ad aliud quodammodò ſe habere, vt pater & filius, dominus & ſeruus.* Si quid referatur ad aliud per prædicatum eſſentiale dicitur referri relatione tranſcendentali, quæ eſt reſpectus eſſentialis ad aliud, vt eſt relatio creaturæ ad Deum. Si verò referatur per prædicatum accidentale, vt refertur paries albus ad alium album, dicitur referri relatione prædicamentali.

Actio eſt forma accidẽtalis, per quam denominatur agens: e. g. Sol per actionem illuminatiuam denominatur illuminans.

Paſſio eſt actus patientis vt patiens eſt: e. g. calefactio in ligno eſt actus ligni patientis ab igne.

Vbi eſt accidens, per quod res eſt for-

 maliter

maliter in loco.

Situs eſt diſpoſitio partium corporis in ordine ad locũ: e. g. ſedere, iacere &c.

Quandò eſt accidens, quo res eſt in aliquâ temporis differentiâ.

Habitus eſt accidens, per quod res denominatur formaliter veſtita: e.g. veſtis.

QVÆSTIO XII.
De poſtprædicamentis
Seù
Quid ſint definitio & diuiſio?

QVoniam de oppoſitione ſatis dictum eſt in Introductione ad logicam, aliqua hîc tantùm de definitione & diuiſione attingere mens eſt.

Definitio ab Ariſtotele 1. Topic. Cap. 4. ſic exponitur, *eſt oratio explicans ipſum quod quid erat eſſe rei*; videlicet, eſt oratio explicans eſſentiam rei. Quoniam verò diximus eſſentiam, ſeù ſpeciem conſtitui ex genere, & differentiâ, debet proptereà definitio ex genere & differentiâ conſtare: e. g. cum hominis eſſentia conſtituatur per animal & rationale, definitio hominis erit, homo eſt animal rationale. Si quid verò plus, aut minus quàm genus & differentia in definitione ponatur, ad definitionis eſſentiam minimè ſpectabit: e. g. ſi dicatur, homo eſt animal, non eſt bona definitio, quia deficien-

ficiente differentia non explicatur adæquatè hominis eſſentia. Si dicatur, homo eſt animal bipes, vitioſa eſt definitio, quia abundat aliquo, quod ad eſſentiam non pertinet, nam eſſe bipedem non eſt de hominis eſſentia. Hæc definitio ſolet appellari metaphyſica, quia genus & differentia gradus metaphyſici dicuntur.

Alia definitionum genera ſolent aſſignari, quæ minùs propriè definitiones dici debent, vt ſunt phyſica, cauſalis, & deſcriptiua. Definitio phyſica dicitur, quæ per partes eſſentiales phyſicas, ideſt per materiam, quæ veluti genus phyſicum dicitur, & per formam, quæ eſt differentia phyſica, conſtruitur: e. g. homo eſt compoſitum ex corpore & animâ rationali. Definitio cauſalis eſt, cum loco rei exprimitur cauſa ipſius: e. g. febris eſt accenſio ſanguinis circa cor, accenſio enim non eſt febris, ſed eius cauſa. Deſcriptiua eſt, quæ fit per enumerationem partium, proprietatum, aut accidentium rei: e. g. ſi dicatur, homo eſt animal bipes, riſibile, capax gloriæ &c.

Diuiſio eſt oratio, qua totum in ſuas partes diſtribuitur. Totum dicitur diuiſum, partes verò dicuntut membra diuidentia: e. g. hominis pars alia eſt corpus, & alia anima rationalis. Si diuidatur

tur totum hoc pacto dicitur diuiſio totius eſſentialis in ſuas partes eſſentiales: Si verò diuidatur genus in ſpecies, e. g. animal in equum, hominem &c. appellatur diuiſio generis in ſpecies.

Ex his conſtat ad bonam diuiſionem duo requiri. I. Vt membra diuidentia ſint oppoſita, videlicet vt vnum non includatur in alio, ſic malè diuideretur Petrus in hominem, animam, & corpus, quia ly hominem eſt membrum includēs & animam & corpus. II. Vt diuiſum latius pateat, quàm ſingula eius membra ſingillatim accepta; & quòd membra diuidentia omnia ſimul ſumpta adęquent ipſum diuiſum: ſic malè diuideretur homo in corpus & vnionem, quia hæc duo ſimul non adæquant hominem, ſed requiritur etiam anima rationalis.

Pro coronide huius Primæ Partis placet aliquas de terminis demonſtrationes adducere fundatas in principio illo Contradictoria non poſſunt eſſe ſimul.

DEMONSTRATIONES.

I. De quo dicitur terminus inferior dicitur etiam ſuperior. Demonſtratur ſic. Terminus inferior eſſentialiter includit ſuperiorem: e. g. homo includit eſſentialiter animal: ſed ſi poſſet de aliquo dici inferior, & negari ſuperior, ille

hunc

hunc non includeret, ergò ſimul includeret, & non includeret, & ſic eſſent cõtradictoria ſimul: ſed contradictoria non poſſunt eſſe ſimul; ergò &c.

II. Affirmatio termini ſuperioris non infert affirmationem inferioris: e. g. affirmatio animalis non infert affirmationem hominis. Demonſtratur ſic. Terminus ſuperior non includit neceſſariò inferiorem: ſed ſi affirmatio ipſius inferret affirmationem inferioris, ſuperior includeret inferiorem; ergò includeret, & non includeret, ideſt contradictoria ſimul; ergò &c.

III. Negatio termini ſuperioris infert negationem inferioris: e. g. negatio animalis negationem hominis. Demonſtratur ſic. Si de aliquo negetur ſuperior, & non inferior, poterit inferior eſſe ſine ſuperiori, & ſic inferior non includet eſſentialiter ſuperiorem: ſed neceſſariò includit; ergò includet & non includet; ergò contradictoria ſimul.

IV. Negatio termini inferioris non infert negationem ſuperioris. Demonſtratur ſic. Si negatio inferioris inferret negationem ſuperioris, non poſſet eſſe ſuperior ſine inferiori, ac proindè includeret inferiorem: ſed ſuperior non includit inferiorem; ergò includeret, & non includeret; ergò contradictoria ſimul.

Ariſtotelis Logicæ Partem
Seù

De Iudicio.

DISPVTATIO II.

HAnc ſecundam logicæ partem Philoſophus de interpretatione inſcripſit, quia tractandum in hoc libro ſuſcepit de propoſitione, quæ eſt quædam humani iudicij interpres. Eodem & nos ordine ad iudicium ſpectantia hîc examinabimus.

QVÆSTIO I.

Vtrum iudicium ſit ſimplex qualitas?

DIco iudicium eſt qualitas formaliter ſimplex, ideſt ſimplex & formaliter intrinſecè vnicus actus.

Probatur. Iudiciũ eſt actus intellectus coniungens vel ſeparans prædicatũ à ſubiecto; ergò conſiſtere nequit in conceptu prædicati & ſubiecti; ergò nec ex illis intrinſecè componi.

I. Conſequentia probatur: quia nequit aliquid conſiſtere in eo, quo poſito adhuc illud non habetur: ſed

poſitis conceptibus prædicati & ſubiecti, e. g. poſito conceptu hominis & conceptu albi, adhuc non habetur iudicium, niſi accedat affirmatio aut negatio; ergò iudicium conſiſtere nequit in conceptu prædicati & ſubiecti; ergò nec ex illis componi; ſed excluſa tali compoſitione, nihil aliud eſt, ex quo poſſit iudicium componi; ergò eſt actus ſimplex. Verum quidem eſt, quòd iudicium præſupponit conceptus prædicati & ſubiecti, nam nequit intellectus vnum cum alio coniungere, aut ſeparare, niſi priùs vtrumque apprehenderit.

I. Ob. Ariſtoteles 1. de Interpr. C. 1. & 3. ait; *Verum & falſum in compoſitione, diuiſioneque conſiſtere*; & 3. de Anim. C. 6. inquit: *In indiuiſibili mentis conceptione falſitas non eſt &c. at in quibus & falſitas iam & veritas ineſt, in hiſce compoſitio quædam iam eſt conceptuum intellectus*: ſed veritas & falſitas ſunt in iudicio; ergò iudicium non eſt indiuiſibile, ſed compoſitum ex multis conceptibus. Confirmatur I. quia quandoquè eſt compoſita apprehenſio, vt cum apprehendimus hominem album; ergò multo magis iudicium. Confirmatur II. quia in hoc differt iudicium noſtrum ab angelico & diuino, quòd noſtrum ſit cõ-

poſitum illud verò ſimplex; ergò &c.

Reſp. Ad I. ſignificari ab Ariſtotele quòd iudicium ſit actus componens & diuidens, & in tali actu veritatem aut falſitatem conſiſtere, ſed ex eo, quòd ſit componens, non deducitur quod ſit compoſitus, nàm etiam vnio eſt componens, ideſt vniens ſimul materiam & formam, & tamen non eſt compoſita. Ad I. Confirmationē, dico, apprehenſionē eſſe compoſitam obiectiuè, ideſt fieri aliquando de obiecto compoſito, non autem formaliter. Ad II. Confirmationē, dico iudicium noſtrum differre ab angelico & diuino, quòd Deus & Angeli (vnuſquiſque ſuo modo) ſimplici conceptu non præſupponente alios conceptus iudicant de re; at noſter intellectus iudicat præſupponendo, ante iudicium, duos conceptus, videlicet alterum ſubiecti, alterum prædicati.

QVÆSTIO II.

An veritas ſit in iudicio, non verò in apprehenſione?

VEritas trifariam diuiditur, nempè in veritatem rei, quæ eſt tranſcendentalis; in veritatem cognitionis, quæ eſt formalis ſeù logica; & in veritatem locutionis. Veritas tranſcendentalis eſt conformitas rei cum ſuis principijs intrinſecè

trinſecè conſtitutiuis; ſic homo eſt verus homo; ſi conformetur principijs intrinſecè ipſum conſtituentibus, quæ ſunt animal & ratiõale, & in hoc ſenſu etiam mendacium dici poteſt verum mendacium, ſi conformetur principijs, quæ ipſum intrinſecè conſtituunt. Veritas formalis eſt conformitas cognitionis cum obiecto; ſicuti falſitas eſt difformitas cognitionis ab eodem. Veritas locutionis duplex eſt, alia per quã ſermo cõgruit rebus, & per hanc ſermo dicitur verus, alia per quam ſermo congruit conceptui loquentis, & per hanc homo dicitur verax; ſicuti ſi diſcrepet ſermo à conceptu mentis homo dicitur mendax. De veritate formali ſeù logica hîc eſt ſermo.

Dicò. Veritas ità propriè reperitur in iudicio, vt etiam aliquo modo in apprehenſione inueniatur.

Probatur prima pars concluſionis. Quia in eo propriè eſt veritas, de quo primò & per ſe enunciatur: ſed primò & per ſe enunciatur de iudicio; ergò eſt propriè in iudicio. Minor probatur: quia enuntiatio vocalis quoad veritatem vel falſitatem reſpondet enuntiationi mentali ſeù iudicio: ſed de vocali dicitur primò & per ſe veritas in ſignificando; ergò de mentali ſeù de iudicio etiam dicetur primò & per ſe veritas. Minor patet;

quia tunc in vocibus dicimus eſſe veritatem vel falſitatem, cum in oratione complexa efferuntur, ideſt cum ſignificant rem ita eſse vel non eſſe, non autem in prolatione vocis incomplexæ, ſi enim audiamus aliquem proferentem hanc vocem *homo*, non dicimus ipſum loqui vera aut falſa, niſi de homine aliquid affirmet vel neget. Confirmatur ex Ariſtotele, qui 9. Metaph. C. vlt. & Lib. 6. C. 2. ait; *Veritatem eſſe in intellectu, quia tantum in illo eſt compoſitio, & diuiſio.*

Probatur ſecunda pars, quòd aliquo pacto reperiatur veritas etiam in apprehenſione. Quia veritas eſt cõformitas cognitionis cum obiecto: ſed ſimplex apprehenſio, dum concipit rem vt eſt in ſe, conformitatem habet cum illa; ergò aliquo pacto habet veritatem. Confirmatur: quia Ariſt. 3. de Anima C. 8. inquit; *Animam intelligendo fieri omnia*, quia per repræſentationem omnibus conformatur; ergò ſi habet conformitatem, habet aliquo pacto veritatem.

Quæres. An etiam in apprehenſione falſitas reperiatur?

Reſp. Apprehenſionem quandoquè verſari circa obiectum ſimplex, aliquandò circa complexum. Si verſetur circa ſimplex vt *homo*, non poteſt habere falſitatem. Ratio eſt, quia obiectum ſimplex

plex nequit per ſimplicem apprehenſionem repræſentari aliter ac eſt, quia repræſentari aliter ac ſit in ſe, eſt repræſentare obiectum vt coniunctum alicui, cui verè non eſt coniunctum, vel diuiſum ab aliquo, à quo verè non eſt diuiſum, ac proindè eſt repræſentare duo:ſed hæc apprehenſio non verſatur circà duo, cum ſit de obiecto ſimplici; ergò &c. Si verò verſetur circà obiectum complexum: e. g. circà hominem album, tunc poteſt habere falſitatem. Ratio eſt, quia poteſt repræſentare vt coniuncta duo, quæ nequeunt eſſe coniuncta: e. g. ſi repræſentet hominem irrationalem: ſed in hoc euentu non eſt conformis, ſed difformis obiecto; ergò eſt falſa.

Ob. Qui videns auricalchum format apprehenſionem auri, facit apprehenſionem falſam; ergò falſitas etiam in apprehenſione circà obiectum ſimplex reperitur:

Reſp. Nego antecedens; nam in iſto caſu intellectus ſibi proponit vt obiectum cognitionis aurum, & de eo format apprehenſionem, ideoquè talis apprehenſio conformatur obiecto intellectui propoſito. Solum fit in iſto euentu, quòd decipiatur ſenſus, qui recipiens ſpeciem aurichalchi, repræſentat ſpeciem auri, at mens non cognoſcit aliud, niſi illud, quod ſibi

ſibi pro obiecto proponitur, ac propterea eius apprehenſio non eſt difformis obiecto.

Ex dictis colligite, veritatem æquè reperiri in diuiſione ſeù in propoſitione negatiua, ac in compoſitione ſeù in propoſitione affirmatiua. Ratio eſt, quia propoſitio vocalis negatiua tàm ſimpliciter ac propriè vera eſt, quàm affirmatiua: e. g. tàm eſt vera, *homo non eſt lapis*, *ac homo eſt viuens*; ergò diuiſio ſeù iudicium negatiuum in mente reſpondens propoſitioni vocali negatiuæ eſt æquè verum ac iudicium affirmatiuum.

QVÆSTIO III.

An veritas ſit ſolùm in iudicio ſpeculatiuo, an etiam in practico.

Inter cæteras differentias, quas habent iudicium ſpeculatiuum & practicum inter ſe, vna eſt, quòd ſpeculatiuum ex obiecto proprio menſuratur, ideò enim iudicium ſpeculatiuum verum eſt, quia commenſuratur rei cognitæ: iudicium verò practicum non menſuratur ab obiecto, ſed potiùs eſt obiecti menſura; nàm ideò res artefacta vera eſt, quia conformatur arti, & non è contra. Ex hoc autem ratio dubitandi oritur, an in iudicio practico ſit veritas, cum enim Ariſtot. dicat, *Ex eo quod res eſt, vel non eſt,*

propoſitio vera vel falſa eſt, ſubiungit D. Thom. 1. p. q. 16. art. 1. quòd *veritas dicit conformitatem cognitionis ad rem cognitam, tanquam menſurati ad menſuram, cum autem obiectum ſit menſura ſolius cognitionis ſpeculatiuæ, videtur deduci poſſe quòd veritas in iudicio ſpeculatiuo & non in practico reperiatur*: nihilominus

Dico. Etiam in iudicio practico veritas propriè reperitur.

Prob. Quia quod alteri propriā veritatem communicat, habet in ſe veritatē, ſed iudicium practicum communicat alteri, nempè artefacto, veritatem; ergò habet in ſe veritatem. Minor probatur: quia artefactum in tantum eſt verum, in quantum eſt conforme iudicio practico: e. g. in lignaria in tantum ſcamnum eſt verum ſcamnum, in quantum eſt conforme iudicio practico de faciendo ſcamno, & ſic in cæteris facultatibus practicis veritas operis à conformitate ad iudicium practicum menſuratur; ergò in iudicio practico eſt propriè veritas.

Ob. Iuxtà communem loquendi modum de veritate, eatenùs veritas eſt in intellectu, quatenùs conformatur rebus, ideoquè cognitio vera mēſuratur ab obiecto; ergò ſi iudicium practicum non menſuratur ab obiecto, non habebit veritatē.

Reſp. Diſtinguo antecedens: cognitio

vera

vera menſuratur ab obiecto in ratione cognitionis, concedo; in ratione cauſæ vel efficientis vel exemplaris, nego. Poteſt igitur cognitio, ſeù iudicium practicum, dupliciter comparari ad obiectum. Primò in ratione cognitionis: ſecundò in ratione cauſæ. Si comparetur in ratione cauſæ, ideſt quatenùs ſufficiens, aut efficax eſt ad ſuum obiectum producendum, eſt menſura ſui obiecti; omnis enim cauſa eſt menſura ſui effectus. Si verò comparetur in ratione cognitionis, comparatur ad ſuum obiectum vt menſuratur ad menſuram; quia ſub eâ conſideratione præcisâ, non eſt cauſa illius: ſed ſola ipſius repræſentatio intentionalis, quæ proindè veritatem habet quatenùs ipſi obiecto commenſuratur. Ratio huius rei eſt, quia cognitio practica, vt vera eſt, nititur principijs primis & per ſe notis, quæ principia deſumuntur ex definitione obiecti, & primâ eius proprietate: hæc autem conueniunt obiecto ex propriâ & intrinſecâ ipſius ratione, non autem ex vi cognitionis practicæ; ergò veritas huius cognitionis, vt cognitio eſt, menſuratur ab obiecto.

Ex dictis facilè colligi poteſt, iudicium eſſe verum per denominationẽ partī ſibi intrinſecam, & partim extrinſecā; nā ad eius veritatẽ requiritur, vt res per ipſum

repræ-

repræſentetur ſicuti eſt, & ità ſe habeat, vt per ipſũ repræſentatur; ſed hoc eſt partim intrinſecum & partim extrinſecũ iudicio; ergò eſt verum per denominationem partim intrinſecam & partim extrinſecam. Minor eſt manifeſta; quia rem ità ſe habere, ſicuti repræſentatur, dicit & rem ità ſe haberè & ità repræſentari; ſed rem ità ſe habere eſt quid extrinſecum iudicio, ità verò repræſentari eſt quid iudicio intrinſecum; ergò &c.

QVÆSTIO IV.

Vtrum propoſitiones de futuro contingenti ſint determinatè veræ vel determinatè falſæ?

AD clariorem huius difficultatis explanationẽ aliqua præmittẽda ſunt. Primò ex propoſitionibus aliquas eſſe tales, vt ex vi ſuorum principiorum eſſentialiter exigant verificari; ſic ſunt omnes propoſitiones à Deo reuelatæ, vt tres eſſe diuinas perſonas, Verbum eſſe incarnatum &c. cum enim earum principium ſit diuina veracitas, quæ eſt eſſentialiter infallibilis, propoſitiones etiã prædictæ ſunt eſſentialiter veræ, licet in aliquibus ipſarum non ſit abſolutè impoſſibile obiectũ aliter ſe habere, potuiſſet enim abſolutè Verbum non incarnari, Papa non eſſe Vicarius Chriſti &c.

Secundò, alias propoſitiones eſſe neceſſariò

ceſſariò veras, quia eſt abſolutè impoſſibile obiectum aliter ſe habere, quàm per ipſas ſignificatur, cum prædicatum eſſetialiter connectatur cum ſubiecto, quæ proindè dicuntur propoſitiones æternæ veritatis; vt ſunt, *homo eſt animal, homo eſt ſubſtantia* &c.

Tertiò, alias eſſe propoſitiones contingenter veras, quia earum obiecta, vt per ipſas ſignificantur, contingenter ſe habēt; ſic ſunt omnes illæ, in quibus prædicatum non competit eſſentialiter ſubiecto, & quæ non nituntur principijs, ex vi quorum petant neceſſariò verificari, vt diximus de propoſitionibus fidei diuinæ.

Quartò, propoſitiones de contingenti aliæ ſunt de præterito, vt *Petrus ſaltauit*, aliæ de præſenti, vt *Petrus ſaltat*, aliæ de futuro, vt *Petrus ſaltabit*. Veras eſſe aut falſas determinatè propoſitiones de præterito & de præſenti nullus dubitat. Quæſtio igitur ſupereſt an veræ ſint determinatè aut falſæ propoſitiones de futuro.

Dico. Propoſitiones de futuro contingenti ſunt determinatè veræ, vel determinatè falſæ.

Probatur I. Quia propoſitiones, quæ fiunt de obiecto determinato, ſunt determinatè veræ vel falſæ: ſed propoſitiones de fu-

de futuro contingenti ſiunt de obiecto determinato, ergò ſunt determinatè veræ vel falſæ. Minor probatur; quia ideò propoſitio de præſenti eſt de obiecto determinato, quia eſt metaphiſicè verum *quodlibet eſt aut non eſt*: ſed eſt etiam metaphyſicè verum, *quodlibet erit aut non erit*; ergò etiam ex hoc principio propoſitio de futuro eſt de obiecto determinato. Minor eſt euidens: nam e. g. die craſtina eſt impoſſibile, quòd Petrus neque ſaltet neque non ſaltet, aut quòd ſimul ſaltet & non ſaltet, ſed alterutrum determinatè fiet; ergò eſt metaphyſicè verum, quòd ſaltus Petri craſtinus eſt determinatè futurus vel non futurus; ergò propoſitio *Petrus cras ſaltabit* eſt de obiecto determinato. Confirmatur: quia ex vi principij *quodlibet eſt vel non eſt* ſunt veræ determinatè vel falſæ *quodlibet eſt album, aliquod non eſt album*; ergò ſunt etiam determinatè veræ vel falſæ *qualibet propoſitio eſt vera, aliqua propoſitio non eſt vera*; ergò ſunt etiam determinatè veræ vel falſæ *omnis propoſitio de futuro eſt vera, aliqua propoſitio de futuro non eſt vera*.

Reſpondent aduerſarij, quòd vt sit vera propositio *Petrus cras ſaltabit*, neceſſe eſt vt exiſtente tempore futuro ſit ſaltus Petri; ad hoc vt ſit falſa, oportet, vt exiſtente

exiſtente eo tempore ſaltus non exiſtat; cum autem nunc non exiſtat illud tempus, neutrum verificatur, nequè quòd exiſtat, nequè quòd non exiſtat ſaltus.

Sed contrà: quia etiam tempus præteritum non exiſtit, & tamen eſt vera vel falſa determinatè propoſitio *Petrus ſaltauit* per hoc quod tempori importato per propoſitionem coextiterit ſaltus; ergò etiam eſt determinatè vera vel falſa propoſitio de futuro *Petrus ſaltabit*, per hoc quod neceſſariò & determinatè coexiſtet ſaltus tempori importato per propoſitionem, vel non coexiſtet.

I. Ob. Si de futuro contingenti daretur determinata veritas: e. g. si eſſet nunc determinatè vera propoſitio *Petrus cras ſaltabit*, craſtinus Petri ſaltus non eſſet liber; ergò &c. Sequela probatur; quia ſuppoſito, quòd ſit determinatè vera *Petrus cras ſaltabit*, non poterit eſſe falſa, alioquin poſſet eſſe ſimul & vera & falſa; ergò Petrus non poterit non ſaltare; ergò ſaltus eius non erit liber.

Reſp. In primis retorqueo argumentum: etiam propoſitio de præſenti *Petrus ſaltat* eſt determinatè vera, & dato quòd ſaltet non poteſt eſſe falſa, & tamen præſens Petri ſaltus eſt liber, ergò etiamſi ſit determinatè vera propoſitio de futu-

ro

ro, adhuc ſaltus futurus Petri erit liber. In forma negatâ ſequelâ, concedo antecedens ipsius probationis, & nego conſequentiam; quia, ſicuti ſtante veritate determinatâ propoſitionis de præſenti, non poteſt talis propoſitio eſſe falſa, & tamen Petrus liberè ſaltat, ità ſtante determinatâ veritate propoſitionis de futuro liberè ſaltabit. Ratio eſt, quia veritas cuiuslibet propoſitionis deſumitur ex eo, quod res ita ſit, vt per propoſitionem enunciatur; & ſicuti in propoſitione de preſenti eſt determinata veritas, quia determinatum eſt obiectum, omne enim quod eſt, quandò eſt, neceſſe eſt eſſe, ità in propoſitione de futuro, ſi ſupponatur futurum, obiectum eſt determinatè futurum; at ex tali determinatione nullum patitur libertas detrimentum, quia libertas in eo conſiſtit, quod potentia operatiua ità ponat actum, vt non ſit ad illum ponendum neceſſitata, ſed loco illius potuerit ponere oppoſitum, licèt quidquid ponat, debeat eſſe determinatum, Petrus enim nunc ſaltans determinatum ſaltum facit, non autem indeterminatum, ſed ità facit, vt ad ipſum faciendum non neceſſitetur, & proptereà liberè facit hunc determinatè ſaltum, idemquè valet in obiecto propoſitionis de futuro; quarè non opponuntur

liberum

liberum & determinatum, ſed liberum & neceſſarium, ad hoc enim vt actus dicatur liber, non debet eſſe in ſe ipſo indeterminatus, ſed ſatis eſt, ſi à potentiâ non neceſſitata procedat, vt procedet obiectum propoſitionis de futuro cōtingenti.

Inſtabis. Poſitâ veritate talis propoſitionis *Petrus ſaltabit*, non poterit non ſaltare; ergò veritas talis propoſitionis affert neceſſitatem ſaltandi.

Reſp. Etiam poſitâ veritate huius propoſitionis *Petrus ſaltat* non poteſt non ſaltare, & tamen veritas huius non affert neceſſitatem ſaltandi; ergò neque veritas propoſitionis de futuro affert talem neceſſitatem. In forma conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ratio eſt, quia ſicuti veritas propoſitionis de præſenti ideò non infert carentiam libertatis in operante, quia eſt veritas hypothetica, ideſt, ex ſuppoſitione, quòd detur ſaltus præſens, eſt neceſſariò vera propoſitio *Petrus ſaltat*, quia non poteſt ſupponi quòd detur ſimulque non detur ſaltus, non autem quia voluntas ſit ad ſaltandum neceſſitata, ità in propoſitione de futuro veritas eſt ex ſuppoſitione, quòd dabitur ſaltus, qua ſuppoſitione factâ, cum ſit impoſſibile ſimul ſupponere contradictorium, propterea eſt vera propoſitio neceſſariò, non ex neceſſitate voluntatis

ad

ad ſaltandum, ſed ex ſuppoſitione ſaltus futuri.

II. Ob. Admiſsâ determinatâ veritate huius propoſitionis *Petrus ſaltabit*, Deus ſcit Petrum ſaltaturum: ſed quod Deus ſcit, neceſſariò eueniet, non poteſt enim Deus falli; ergò ſaltus Petri neceſſariò eueniet.

Reſp. Conceſſa maiore, diſtinguo minorem. eueniet neceſſariò neceſſitate conſequenti, concedo; neceſſitate antecedenti, nego minorem & conſequentiam. Duplex itaquè datur neceſſitas, alia antecedens, & alia conſequens. Antecedens ſe tenet ex parte cauſæ, videlicet eſt illa, ratione cuius cauſa ità eſt determinata ad vnum effectum, vt eius contradictorium non poſſit eligere, ſic e. g. compedîtus ità eſt determinatus ad ſedendum, vt non poſſit eligere non ſeſſionem, ignis eſt ità determinatus ad calefaciendum, vt non poſſit eligere non calefactionem. Neceſſitas conſequens eſt illa, vi cuius non abſolutè, ſed tantùm factâ aliquâ ſuppoſitione ex parte effectus, ita hìc eſt, vt ex vi talis ſuppoſitionis non poſſit non eſſe: e. g. facta ſuppoſitione quod Petrus nunc ſaltet, eius ſaltus ita eſt, vt ſuppoſito quòd ſit, non poſſit non eſſe. Prima neceſſitas eſt abſolutè neceſſitas, ac propterea libertatem euertit

tit. Secunda neceſſitas eſt non abſolutè neceſſitas, ſed ſecundùm quid, ſcilicet neceſſitas ex ſuppoſitione exiſtentiæ effe-ctus, & hæc cum nihil connotet in cauſa, quod ipſam ad operandum necesſitet, relinquit totam cauſæ libertatem, ac proindè ipſam minimè euertit. Huius generis neceſſitas eſt illa de qua loquimur, nam factâ ſuppositione quòd ſaltus Petri ſit futurus, ex vi talis ſuppoſitionis Petrus neceſſariò ſaltabit, neceſſitate conſequenti, non verò antecedenti.

III. Ob. Ad hoc vt nunc propositio sit vera, debet nunc dari id, per quod sit vera: ſed non datur nunc ſaltus Petri; ergò propositio *Petrus ſaltabit* non eſt nunc vera, ſed erit quandò ſaltabit. Confirmatur: quia ad hoc vt paries nunc sit albus, debet nunc dari albedo; ergò &c.

Reſp. Nego maiorem, nàm etiam propositio de præterito *Alexander pugnauit* eſt nunc vera, & tàmen nunc non datur pugna, per quam eſt vera, vt ergò sit vera propositio, ſatis eſt ſi detur id, per quod eſt vera, tempore importato per propositionem. Ad Confirmationẽ negatur paritas; nàm eſſe album habetur per formam physicam, quæ nequit physicè conſtituere ſubiectum tale, nisi physicè ipsi insit; at eſſe verum eſt denominatio logica, quæ cum consiſtat in confor-

conformitate cognitionis cum obiecto, ſatis eſt, ſi cognitio aut propoſitio conformetur obiecto pro eo tempore, quod importatur per propoſitionem, non autem requiritur, vt detur phyſicè obiectũ, quandò fit propoſitio, alioquin nequè propoſitiones de præterito poſſent eſſe veræ.

Inſtabis: quando fit propoſitio *Petrus ſaltabit* nihil datur in rerum naturâ, quod trahat potius ſaltum, quàm non ſaltum; namvoluntas Petri eſt adhuc indifferens; ergò non poteſt eſſe determinatè verum potiùs ſaltabit, quàm non ſaltabit.

Reſp. Etiam dum fit propoſitio de præterito *Alexander pugnauit* nihil datur amplius in rerum naturâ de tali pugna, & tamen eſt determinatè vera propoſitio; ergò etiam in caſu noſtro. In forma, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; nam veritas propoſitionis non habetur per hoc, quod detur, quando fit propoſitio, aliquid potiùs trahens quàm non trahens obiectum, ſed per hoc, quod obiectum ſit vt enunciatur, tempore per propoſitionem importato; quarè per hoc, quod erit ſaltus Petri tempore futuro, eſt vera nunc propoſitio *Petrus ſaltabit*.

QVÆSTIO V.
Vndenam oriatur difficultas aſſequendæ veritatis.

TOtam difficultatem aſſequendi veritatem oriri ex imperfectione noſtri intellectus putauit Scotus. E' contra Heraclîtus ipſam tribuit totam ipſis rebus, quæ propter ſuam imperfectionem, & virtutis debilitatem non producunt ſpecies ſui ſufficientes ad hoc, vt rectè penetrentur.

Dico. Difficultas in cognoſcendis rebus, quæ ſunt perfectiores, & ſuperiores homine, oritur ex imperfectione intellectus. In cognoſcendis verò rebus, quæ ſunt imperfectiores & inferiores homine, oritur ex ipſis rebus.

Probatur prima pars. Quia modus cognoſcendi ſequitur modum eſſendi, ideſt quilibet intelligens intelligit alia iuxtà modum eſſendi proprium; ergò vt intelligat ſuperiora, debet illa trahere & accomodare ſuo modo: ſed inferioritas facit, vt difficilè ſuperiora attinganrur, & trahantur; ergò difficultas intelligendi ſuperiora oritur ex imperfectione humani intellectus. Antecedens patet; quia anima noſtra, licèt immaterialis, quia tamen dum eſt vnita corpori, eſt verè forma corporis, ac proindè habet mo-

dum

dum eſſendi in materia, nihil poteſt intelligere proprio conceptu, niſi materialia, & ſi intelligit ſpiritualia, neceſse eſt vt intelligat per analogiam & proportionem ad ipſa materialia, vt conſtat quando intelligimus Angelos & Deum, quos ad modum rerum materialium concipimus. Confirmatur; quia quò aliquid eſt perfectius, eò eſt per ſe intelligibilius, ergò quæ ſunt ſupra hominem & ſupra materialia, ſunt etiam magis per ſe intelligibilia; ergo difficultas in ipſis intelligendis non oritur ex ipſis, ſed ex imperfectione humani intellectus; & hoc eſt, quod ſignificauit Ariſtoteles 2. Metaph. Cap. 1. cum inquit. *Cum difficultas duobus modis accidat, non in rebus, ſed in nobis illius cauſa ſita eſt*, & ibid. addit, *Sicut oculus noctuæ ad lumen Solis, ità ſe habet mens noſtra ad manifeſtiſſima naturæ*.

Probatur ſecunda pars. Quia homo reſpectu rerum inferiorum, ſicuti eſt ſuperior in modo eſſendi, ità etiam ſuperior eſt in modo cognoſcendi; ergò difficultas in ipſis cognoſcendis nequit per ſe prouenire ex imperfectione intellectus humani, ſed ex ipſis rebus. Conſequentia patet; nam virtus cognoſcendi ſuperior non ſolùm poteſt per ſe adæquare obiectum inferius, ſed illud accomodando ſibi, ideſt ſuo modo, eleuare ad altiorem

ordinem; ergò difficultas in cognoſcendo obiecto inferiori nequit oriri ex imperfectione hominis cognoſcentis, ſed ex imperfectione obiecti cogniti, videlicet ex eò, quòd tale obiectum cum ſit imperfectæ entitatis eſt etiā imperfectæ virtutis & efficacitatis, ad imprimendam ſpeciem ſui in ſenſu & in intellectu, vt ſunt multa accidentia, quæ per ſe ſenſibilia non ſunt, imò & ipſa ſubſtantia materialis. Tota doctrina hactenùs tradita illuſtratur à Suares Diſp. 9. de falſitate ſect. 3. num. 4. exemplo oculi, qui lumen Solis videre non poteſt propter ſuam imperfectionem non Solis, tenuiſſimam autem lucem, aut minimum aliquod obiectum videre non poteſt propter imperfectionē ipſius obiecti, quia in efficaciſſimum eſt ad potentiā immutandam.

Ob. contra primam partem concluſionis. Ideò intellectus difficilè intelligit ſuperiora, quia non habet proprias illorum ſpecies, per quas illa cognoſcat: ſed quòd tales ſpecies nō habeat, non prouenit ex ipſo, ſed ex obiectis; ergò difficultas in cognoſcēdis ſuperioribus prouenit ab obiectis. Minor probatur: quia intellectus, quā tùm eſt de ſe, eſt in potentiā ad omnes ſpecies recipiendas; ergò quòd de facto non recipiat, prouenit non ex ipſo, ſed ex rebus ſuperioribus, quæ non habent

effica-

efficaciam ad producendas tale ſpecies, ipſaſquè illi imprimendas.

Reſp. Conceſſa maiore, nego minorẽ; nàm ideò ſpecies proprias rerum ſuperiorum non habet intellectus humanus, quia, dum eſt corpori coniunctus, non eſt capax illas recipiendi, quod manifeſtè patet ex eo quòd ſtatim ac eſt à corpore ſeparatus, ſpecies illas recipit, ipſiſquè vtitur, quod non fieret, ſi ex inefficacitate obiectorum ſe teneret difficultas, nã æquè inefficacia eſſent ad producendas proprias ſpecies, quandò intellectus eſt à corpore ſeparatus, ac quandò eſt coniunctus.

IN TERTIAM
Ariſtotelis Logicæ Partem
Seù
De Diſcurſu.

DISPVTATIO III.

QVatuor libros de tertia mentis operatione ſcripſit Ariſtoteles, quos analyticos appellauit, ideſt reſolutorios, quia in ipſis rationem reſoluendi ſyllogiſmos in ſua principia docuit. Cum plura in hanc rem dixerimus in breui no-

ſtra Introductione, aliqua hîc ad plenam expoſitionem breuiter addemus.

QVÆSTIO I.

Quid & quotuplex ſit demonſtratio?

1 PRænotandum eſt cognitionem, quæ definitur vitalis obiecti repræſentatio, aliam eſſe intuitiuam, & aliam abſtractiuam. Intuitiua eſt, quæ immediatè in ipſum obiectum tendit, ſeù quæ iudicat obiectum actu exiſtere. Abſtractiua eſt, quæ non tendit immediatè in obiectum, vt exiſtens. Hæc diuiditur in euidentem & ineuidentem. Euidens eſt, quæ repræſentat rē per ſe notam, vel habentem connexionem intrinſecam euidentem cum re per ſe notâ. Dicitur res per ſe nota; quæ per ſolam terminorum explicationem comprehenditur: e. g. totum eſt maius ſua parte, ſi enim explicetur quid ſit totum, & quid pars, ſtatim comprehenditur totum eſſe maius parte. Similiter eſt euidens cognitio rei, quæ euidentem habet cum re per ſe notâ intrinſecam connexionem: e. g. concluſio intrinſecè connexa cum antecedenti euidenter cognito. Talis connexio euidenter cognita vocatur motiuum ad aſſenſum. Motiuum duplex eſt, aliud intrinſecum, & aliud extrinſecum. Intrinſecum eſt, quod intrinſecam habet

bet connexionem cum re cognitâ. Extrinſecum eſt, quod extrà rem eſt, vt authoritas viri fide digni, aut Dei. Tàm ad aſſenſum, quàm ad diſſenſum, nequit intellectus induci, niſi motiuum aliquod, vel intrinſecum vel extrinſecum, habeat.

II. Prænotandum, quòd duplex eſt certitudo, alia obiectiua, & alia formalis. Obiectiua eſt illa, per quam obiectum opponitur contingentiæ, videlicèt ità eſt, vt aliter eſſe non poſſit: e. g. homo ità eſt animal rationale, vt non poſſit non eſſe. Formalis eſt firma intellectus adhæſio ad obiectum verũ. Dico ad obiectum verum, nàm ſi foret ad falſum, eſſet potiùs pertinacia. Subdiuiditur certitudo formalis in metaphyſicam, phyſicam, & moralem. Metaphyſica eſt, quæ oritur ex primo aliquo principio metaphyſico: e. g. impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe. Phyſica eſt, quæ oritur ex euidentia principij phyſici, cui naturaliter nequit ſubeſſe falſum: e. g. omne combuſtiuum ignis eſt. Moralis eſt, quæ nititur principijs prudentiæ, ex quibus iudicamus, ità rem ſe habere, vt aliter eſſe non poſſit.

III. Prænotandum, quòd duplex eſt incertitudo, nempè poſitiua, & negatiua. Poſitiua eſt, quæ alio nomine dubium

formale dicitur, cum videlicet, intelle-ctus habens vtrinque rationes probabiles manet ſuſpenſus. Negatiua eſt, per quam intellectus manet ſuſpenſus, quia ex neutrâ parte rationes habet. Ad dubium formale reduci poteſt ſuſcipio, quæ tamen videtur hoc ãplius habere, quòd licet intellectum ſuſpenſum habeat, tamen ipſum potiùs ad vnam quàm ad aliam partem inclinat. Opinio à dubio differt, quia eſt firma intellectus adhæſio ad obiectum ex motiuo probabili, quarè non eſt idem dubitans ac opinans; dubitans enim nequit prudenter ac licitè operari, qui enim dubitans an comedere oua ſit licitum, comederet, imprudẽter ſe gereret, & peccaret; at qui ductus probabili ratione agit, prudenter ſe gerit, nec peccat. His prænotatis.

Ariſtoteles 2. Poſter. duplicem aſſignat demonſtrationum claſſem, videlicet di hoti ſeù propter quid, quæ dicitur à priori, & hoti ſeù quia, quæ dicitur à poſteriori. Demonſtratio à priori eſt, quæ probat prædicatum concluſionis conuenire ſubiecto per eius proximam, & adæquatam cauſam: e. g. ſi quis probet mixtum eſſe corruptibile, quia ex inuicem pugnantibus elementis conſtat. Demonſtratio quia, ſeù à poſteriori, eſt, quæ probat prædicatum concluſionis conuenirè

ſubie-

ſubiecto per eius proprium effectum: e. g. ſi quis probet hominem eſſe rationalem, quia eſt riſibilis.

Demonſtratio vt ſic rectè definitur à Philoſopho 1. Poſt. Cap. 2. *ſyllogiſmus conſtans ex veris, primis, immediatis, notioribus & prioribus, & cauſis concluſionis*. Hanc eſſe optimam definitionem conſtat ex ijs, quæ de bonitate definitionis ſuperiùs attulimus. Dicitur *ex veris*, quia cum veritas concluſionis ex præmiſſarum veritate pendeat, ſi aliqua ex his falſa eſſet, falſitatem quoquè in concluſionem refunderet, ex falſo enim per ſe ſequitur tantummodò falſum. Dicitur *ex primis & immediatis*, ideſt ex principijs primis, quæ per ſe nota & euidentia ſint. Dicitur *notioribus*, quia cum concluſionis obiectũ debeat per præmiſſas innoteſcere, debent illæ eſſe clariores ipsâ concluſione, nam ignotum debet manifeſtari per notius, nõ autem per igotius, aut æquè ignotum. Dicitur *ex cauſis*, ideſt intentionalibus, ſeù in cognoſcendo, nam non eſt neceſſè vt obiecta præmiſſarum phyſicè & realiter cauſent obiectum concluſionis, ſed ſufficit, ſi habeant aliquam prioritatem ſeù maiorem claritatem, vi cuius inducant in cognitionem obiecti concluſionis.

QVÆSTIO II.

Vtrum regreſſus demonſtratiuus ſit vtilis?

CVm in noſtra Introductione petitionem principij ſeù circulum eſſe vitioſum dixerimus, nugatoriè enim & inutiliter diſſerit, qui terram eſſe rotundam probat, quia mouetur circulariter, & moueri circulariter probat, quia eſt rotunda, quærimus propterea in præſenti, an regreſſus demonſtratiuus ſit iſte circulus vitioſus, an verò ſit aliquid vtile. Regreſſus demonſtratiuus eſt, cum poſtquam per aliquod principium concluſionem probauimus, regredimur ad probandum illud principium per illam concluſionem, ità vt quod in primâ demonſtratione fuit concluſio, iam accipiatur pro medio, & quod fuit medium, iam veniat pro concluſione: e. g. ſi de lunari eclypſi ſic fiat ſyllogiſmus. Quoties datur eclypſis lunaris, terra intercipitur inter Solem & Lunam: nunc datur eclypſis lunaris; ergò nunc terra intercipitur inter Solem & Lunam. Deindè ſic regrediar. Quotiès terra intercipitur inter Solem & Lunam, datur eclypſis lunaris: nunc terra intercipitur inter Solem & Lunam; ergò nunc datur eclypſis lunaris.

Dico regreſſum demonſtratiuum non eſſe circulum, atque adeò non eſſe vitioſum,

ſum, ſed vtilem.

Probatur. Quia circulus eſt vitioſus, quia probatur idem per idem, ſeu quia cum vnum non ſit altero notius, nihil noui per probationem addiſcimus: ſed in regreſſu demonſtratiuo id non ſequitur; ergò non eſt circulus vitioſus, ſed vtilis. Minor probatur; quia in regreſsu demonſtratiuo, quod eſt in vno genere notius, eſt in alio ignotius: e. g. cum demonſtratur cauſa per effectum, notior eſt effectus quàm cauſa; at quando deinde demonſtratur idẽ effectus per cauſã, talis effectus qui erat valdè notus, euadit notiſſimus, vt experientia manifeſtat; ergò &c. Antecedens cõſtat in eo, qui per eclypſim demõſtrat interpoſitionem terræ, interpoſitionem demonſtrat per motum circularem, & deinde per talem interpoſitionem demonſtrat eclypſim, cum enim cauſa eclypſis non ſit per ſe nota, rectè demõſtratur per effectum, qui notus eſt, ſed deindè talis effectus ſit notior, cum per ſuam cauſã demonſtratur. Confirmatur authoritate Ariſtotelis, qui 1. Poſter. approbat talem regreſsum, & ipſo ſæpiùs vtitur.

I. Ob. Non poſsunt duo eſse mutuò notiora: ſed deberent eſse, ſi vtilis eſſet regreſſus demonſtratiuus; ergò non eſt vtilis. Minor probatur; quia præmiſſæ debent eſse notiores concluſione; ergò

gò effectus in præmiſſis erit notior cauſa, & cauſa in præmiſſis erit notior effectu.

Reſp. Diſtinguo maiorem; non poſſunt duo eſſe muotuò notiora in eodem ſyllogiſmo, concedo; in diuerſo, nego maiorem; repugnat in eodem ſyllogiſmo eſſe notiora, quia præmiſſæ, vt euincit obiectio, debent eſſe notiores concluſione, vt habeatur veræ demonſtrationis ratio; at nulla eſt repugnãtia quòd, quæ eſt concluſio, & ſic ignotior, in vno ſyllogiſmo, fiat præmiſſa, & ſic notior in alio ſyllogiſmo; in regreſſu autem demonſtratiuo cauſa eſt notior in vno ſyllogiſmo, effectus eſt notior in alio.

II. Ob. In regreſſu committitur circulus; ergò eſt vitioſus. Antecedens patet, nam effectus probatur per cauſam, & rurſus cauſa per effectum; ergò &c.

Reſp. Nego antecedens. Ad probationem diſtinguo ſecundã partem; cauſa probatur per effectum æquè notum ac anteà, nego; magis notum ac erat anteà, concedo. Tunc committeretur circulus, ſi non fieret idem notius in vno ſyllogiſmo quàm fuerit in alio; at quia fit notius, non poteſt dici, quòd probetur idem per omninò idem, ſed per aliquo modo diuerſum, nam effectus vt notior, eſt aliquo modo diuerſus à ſe ipſo vt ignotiore.

QVÆ-

QVÆSTIO III.
Vtrum in eodem intellectu poſſint ſtare ſimul ſcientia & opinio de eodem obiecto.

DAri ſcientiam & hanc quidem de nouo ſupponit noſtræ quæſtionis titulus. Prima pars fundatur in eo, quòd nomine ſcientiæ intelligitur cognitio certa & euidens circa obiectum ſcibile ſeù ſpeculabile: ſed dari huiuſmodi cognitionem patet experientiâ, in logicâ ſpeculatiuâ, phyſicâ, metaphyſicâ, & mathematicâ, cum ex primis principijs concluſiones certæ & euidentes paſſim inferantur; ergò dantur ſcientiæ. Secunda pars, quòd detur de nouo, patet etiàm experientiâ; nam vnuſquiſque experitur ſe, antequam didicerit phyſiſicam vel mathematicā, ignoraſse vtrāque, nec vllâ ratione poteſt probari, quòd addiſcens purè reminiſcatur; ergò acquirit de nouo ſcientiam. Primæ parti huius ſuppoſitionis obſtant, I. Anaxagoras, qui dicebat, quodlibet ſequi ex quolibet, ac proindè poſse de quolibet affirmari & negari quodlibet, ideoquè nihil certi esſe in rerum naturâ: II. Democritus, qui putans omnia componi ex pleno & vacuo, ſeù ex ente & non ente, concedebat poſse de eodem affirmari ſimul contradictoria: III. Heraclîtus & Cratîlus, qui propter

continuum rerum fluxum & inconſtantiam, omnia dicebāt inſtar fluminis perpetuò currentis ſingulis inſtantibus mutari, atquè adeò nihil certi & determinati de illis poſſe affirmari, aut negari: IV. Sceptici, qui omnia eſſe dubia credebāt, ex eo quòd pēdet noſtra cognitio à ſēſibus, qui ſunt fallibiles. Secundæ parti opponitur ſententia Platonis, qui in Thæteto, Phædro, & Phædone, cenſuit animo humano, antequàm in corpus mortale infundatur, omnes rerum ſpecies ab authore naturæ fuiſſe infusas, ideoquè omnes ſcientias habuiſſe; per infuſionem verò in corpus mortale & corruptibile, fieri vt lutuosâ & craſsâ materie tales ſpecies obtundantur, & ſic animus illis vti non valens, obliuiſcatur; at quandò vel per docentis explicationem, vel per obiectorum ſenſibilium imagines exicitantur illæ ātiquæ ſpecies, paulatim animus recordatur, & ſic non eſt, quòd ſcientiam de nouo acquirat, ſed ſolam rerum, quas ſciebat, reminiſcentiam. In his refellendis erroribus non immoror, quia vnicuique falſitas eorum per ſe perſpicua eſt.

Prænotandum iam eſt, quod valdè differunt non certificare & facere poſitiuè incertum, ſeù reddere intellectum fluctuantem & formidantem. Non certificare

tificare dicit, ſolum non peruenire ad dandam perfectam certitudinem; facere incertum, dicit ponere formam incompoſſibilem cum certitudine, ideſt expellere certitudinem; ſicuti aliud eſt non dealbare, aliud eſt expellere albedinem. Durities, figura, magnitudo, non dealbant parietem, ideſt non habent virtutē ipſum faciendi album: at nigredo expellit ipſam albedinem, ideoquè nigredo eſt in eodem pariete incompoſſibilis cum albedine: durities verò, figura, magnitudo, cum albedine ſtant in eodem ſubiecto, quia non dealbare non eſt opponi albedini; ità pariter non certificare non opponitur certitudini; at facere incertum, ſeù expellere certitudinem, opponitur certitudini: ac proindè poteſt in eodem intellectu ſtare cum certitudine forma non certificans, non tamen forma incertificans, ſeù reddens incertum. His prænotatis.

Dico, In eodē intellectu ſtare poſſunt ſimul ſcientia & opinio de eodē obiecto.

Prob. Quia actus opinionis & actus ſcientiæ non repugnant inter ſe; ergò poſſunt ſtare ſimul, Antecedens probatur: quia ea repugnant inter ſe, quorum vnum præſtat effectum oppoſitum alterius effectui: ſed actus opinionis non præſtat effectum oppoſitum effectui actus ſcientiæ; ergò actus opinionis & ſcientiæ

non

non repugnant inter ſe. Minor probatur: quia actus opinionis affirmat aut negat idem de eodem obiecto, quod affirmat vel negat actus ſcientiæ; ergò dicit idem ac dicit actus ſcientiæ: ſed non opponitur alteri, qui dicit idem ac ille; ergò actus opinionis non dicit effectum oppoſitum effectui actus ſcientiæ; ergò non opponuntur, nec repugnant inter ſe.

I. Ob. Non poteſt ſimul intellectus de eâdem re dicere, ità eſt infallibiliter, & fortaſſe ità non eſt: ſed per ſcientiam dicit rem ità eſſe infallibiter, per opinioné dicit fotraſsè ità non eſſe; ergò non poſſunt in eodem intellectu de eâdem re ſimul ſtare ſcientia & opinio. Confirmatur I. quia opinio non habet vim certificandi intellectum de obiecto: ſed quod non certificat intellectum, facit ipſum formidoloſum; ergò opinio facit formidoloſum. Confirmatur II. quia dum intellectus opinatur, cognoſcit motiuum eſſe tantùm probabile, atquè adeò fallibile, alioquin non opinaretur, cum de ratione opinionis ſit cognoſcere motiuum vt fallibile: ſed motiuum cognitum vt fallibile inducit formidinem; ergò opinio reddit intellectum formidantē; ergò nequit ſtare opinio cum ſcientia.

Reſp. Conceſſa maiore, nego ſecundam partem minoris, quòd ſit de ratione opi-

ne opinionis dicere fortaſſe res ità non eſt; ſi enim hoc diceret, eſſet dubium, cum quo nemo prudenter operari poteſt: eſt autem apud omnes certum, quòd qui cum opinione operatur; rationabiliter & prudenter operatur, cum ductus motiuo probabili operetur, igitur non eſt de ratione opinionis dicere, fortaſsè res ità non eſt, ſed adhærere firmiter obiecto ex vi motiui probabilis, quarè Ariſt. 7. Ethic. cap. 3. dicit aliquos per opinionē tàm firmiter adhærere obiecto ac adhærent illi,qui ſcientiā habent. Ad primā Confirmationem conceſſa maiore, nego minorem;licèt enim opinio non habeat tantam virtutem,vt inducat certitudinem omnem, tamen non reddit per hoc intellectum formidoloſum, quia reddere formidoloſum eſt expellere certitudinem: Attentè autem conſideranti conſtabit, quòd ſicuti non facere album & expellere albedinem non ſunt idem, nam dulcedo in lacte non facit album, ſed non expellit albedinem; ità non facere certum & expellere certitudinem maximè differunt, ac propterea licèt opinio non faciat certum,non rectè infertur,quòd expellat certitudinem, ſeù quòd intellectum formidoloſum reddat. Ad ſecundam Confirmationem,tranſeat maior,& nego minorem. Dixi tranſeat maior

quia

quia ſiuè motiuum opinionis cognoſcatur vt fallibile, ſiuè non, ex hoc non ſequitur,quod intellectus formidet. Si enim cognoſcatur vt fallibile, intellectus cognoſcit quidem ex vi talis motiui ſe non habere omnem certitudinem,non tamen dicit ſe eſſe formidantem & incertum, ſed abſolutè dicit rem ità eſſe, ſicuti qui videt cubiculum illuminatum luce candelæ in meridie, videt quidem ex vi candelæ non habere perfectam lucem, ſed ex hoc non infert ex vi candelæ eſſe non lucidum, nam lumen candelæ non eſt expulſiuum lucis, ſed habet ſolùm tantam lucem, cum defectu maioris lucis; ità intellectus videns ſe illuminatum lumine opinionis, cognoſcit ſibi per opinionem conferri tantam lucem certitudinis, & non maiorem, non tamen per opinionem iudicat excludi certitudinem; imò iudicat, quod ſi accedat motiuum efficacius, quale eſt motiuum ſcientiæ, creſcet & augebitur in ſe certitudo; ſicuti videns cubiculum illuminatum lumine candelæ, iudicat, quòd ſi efficacior virtus illuminatiua ſuperueniat, qualis eſt ſolaris, augebitur in cubiculo lux. Negatur etiam eſſe de ratione opinionis,vt nitatur motiuo fallibili cognito vt fallibili, ſatis enim eſt ſi nitatur motiuo probabili.

II. Ob. Poteſt opinio eſſe aliquando

cum

cum actuali formidine: ſed ſcientia ſtare nequit cum formidine; ergò opinio ſtare nequit cum ſcientiâ. Rurſus opinio eſt diſpoſitio ad ſcientiam: ſed diſpoſitio ſtare nequit cum formâ, ad quam diſponit, diſpoſitio enim eſt via ad formam, quæ eſt terminus, nequit autem via ſtare ſimul cum termino. Accedit authoritas Ariſtotelis, qui 1. Poſter. tex. 44. inquit: *Manifeſtum ex his eſt, quòd neque opinari idem, ac ſcire contingit. Simul enim haberet exiſtimationem, quòd aliter ſe habere & non aliter idem poſſet, quòd fieri nequit.*

Reſp. Diſtinguo maiorem. Poteſt eſſe cum formidine opinio impropria, cocedo; propria, nego. Opinio propria eſt firma intellectus adhæſio ad obiectũ verũ ex motiuo probabili: opinio impropria eſt non firma, ſed fluctuans, & de hac non inſtituimus quæſtionem, quia conuertitur cum dubio, cum quo conſtat ſtare non poſſe ſcientiam, at cum opinione propriâ nullam habet repugnantiam ſcientia, & propterea poteſt cum ipsâ in eodem eſſe intellectu: Ariſt. l. cit. loquitur de opinione impropriâ, non verò de propriâ. Ad illud de diſpoſitione, nego minorem, quòd omnis diſpoſitio recedat adueniente forma, nam calor eſt diſpoſitio ad ignem & tamen perſeuerat in ſubiecto adueniente igne, vt ſuo loco oſten-

oſtendemus. Diſpoſitio non ſe habet in omnibus vt via ad terminum, ſed ſolùm in eo, quòd ſicut via conducit ad terminum, ità diſpoſitio conducit ad formam, ideoquè non rectè deducitur, quòd ſicuti via non ſtat cum termino, ità nec diſpoſitio ſtet cum forma.

Quæres. An etiam fides ſimul cum ſciẽtiâ poſſit eſſe in eodem intellectu circà idem, vt eſſe poteſt ſcientia & opinio?

Reſp. Eodem argumento, quo probatum eſt, poſſe cum ſcientiâ opinionem componi, conuincitur etiam poſſe componi fidem ſiuè humanam ſinè diuinam: licet enim fides importet obſcuritatem, non eſt tamen excluſiua euidentiæ, nam cum fides ſit argumentum non apparentium, etiam ipſa claritatem aliquam habet, alioquin argumentum dici non poſſet, argumentum enim eſt manifeſtatiuum rei, cuius eſt argumentum; quarè obſcuritas fidei eſt ſolùm minor claritas quàm claritas ſcientiæ, ac proindè non pugnant fides & ſcientia priuatiuè, ſeù contradictoriè, ſed tantùm, vt perfectum & minus perfectum, vt clarũ & minus clarũ. Nec obſtant propterea quæ de fide dicit Apoſtolus, *Fides eſt ſperandarũ ſubſtantia rerum, argumentũ non apparentiũ*; ſicuti enĩ neceſsè nõ eſt, vt omnia, quæ credũtur ſperentur, credimus enim infernũ, & tamẽ

ipſum

ipſum non ſperamus; ità non eſt neceſsè vt omnia, quæ credimus, ſint non appa-rentia, ſatis eſt ſi ex fidei motiuo non ſint euidentia, non verò requiritur, quòd ex alio motiuo non appareant. Senſus ergò prædictorum verborum eſt, quod quæ fides proponit, non debent ex vi motiui fidei eſſe euidentia.

QVÆSTIO IV.
Vtrum per ſe vtile ſit argumentari ab hypotheſi impoſſibili.

EX modernis plurimi cum Puente Hurtado hypotheſes impoſſibiles ad veritatem requirendam, & ingenia mirabiliter exercenda vtiliſſimas exiſtimant, ac propterea non rarò Auditores detinent in longiſſimis diſceptationibus de re impoſſibili examinandis. Adeò in nihilo totus eſt homo!

Dico. Hypotheſes impoſſibiles per ſe non ſunt vtiles ad vllam veritatem inquirendam.

Probatur I. Quia ex impoſſibili ſequitur æquè vtraque pars contradictionis, ergò ex vi hypotheſis impoſſibilis non poteſt intellectus potiùs ad vnam quàm ad aliam determinari; ergò nullam determinatam veritatem per ſe poteſt ex illâ deducere. Antecedens probatur: nam præmiſsæ ſunt cauſæ concluſionis; ergò

nihil

nihil plùs aut melius poteſt eſſe in concluſione, quàm ſit in præmiſſis: ſed in præmiſſis de impoſſibili continetur vtraque pars contradictionis; ergò per ſe etiam reperiri debet in concluſione. Declaratur hoc exemplo manifeſtiſſimo; ſupponatur enim, quòd homo ſit equus, ſequitur quòd ſit diſcurſiuus & non diſcurſiuus, nam *omnis homo eſt diſcurſiuus*, & *omnis equus eſt non diſcurſiuus*; ergò *homo equus eſt diſcurſiuus non diſcurſiuus*. Diſcurſiuum non diſcurſiuum eſt impoſſibile & nihil; ergò ex hypotheſi impoſſibili ſequitur impoſſibile, atquè adeò nihil; & conſequenter ad nihil eſt vtile per ſe argumentari ab ipsâ. Confirmatur: quia omnis propoſitio indè præcisè vim habet conuincendi intellectum ad aſſenſum & diſſenſum, vndè habet determinationem ad veritatem, vel falſitatem: ſed nulla propoſitio habet hoc ex vi hypotheſis impoſſibilis; ergò propoſitio deducta ex hypotheſi impoſſibili non habet vim conuincendi intellectum; ergò eſt omninò inutilis.

I. Ob. Ex hypotheſi *homo eſt lapis* rectè deducitur *ergò eſt ſubſtantia*. Similiter ex hâc aliâ, *homo eſt equus*; *ergò eſt animal*; ergò ex hypotheſi impoſſibili deducitur determinata veritas; ergò eſt vtile argumentari ab ipsâ.

Reſp.

Reſp. Retorqueo argumentum; ex hypotheſi *homo eſt lapis* deduditur *ergò eſt chymera*: ſed chymera nequè accidens eſt neque ſubſtantia, ſed nihil; ergò homo lapis nequè eſt accidens, nequè ſubſtantia, ſed nihil; ergò ad nihil inſeruit argumentatio ab hypotheſi impoſſibili; idē valet de alia hypotheſi ibi adducta. Dico ergò illas propoſitiones *homo eſt ſubſtātia, homo eſt animal*, eſſe veras veritate cōſequentis, non veritate conſequentiæ, videlicet non rectè deduci ex vi hypotheſis antecedētis; nam ſi accipiātur vt cōnexæ cū ipſo, falſæ ſunt, cum, vt dixi, falſum ſit *hominem lapidem eſſe ſubſtantiam, hominem equum eſſe animal*. Cuius rei ratio eſt, quia vt propoſitio ſit vera veritate conſequentiæ, termini concluſionis debent retinere eamdem ſuppoſitionem, quam habebant in præmiſſis; ergò ſi terminus *homo* in præmiſſis ſupponit pro homine, qui eſt equus, debet hoc idem ſupponere in conſequenti: ſed ſi ſupponat ſic, conſequens erit impoſſibile; ergò ex hypotheſi impoſſibili ſequitur impoſſibile, quod non vnam tantùm contradictionis partem includit, ſed vtramquè ſimul, atquè adeò nihil. Si ergò intellectus videtur determinari ad dicendum in conſequenti *homo eſt ſubſtantia* non eſt ex vi hypotheſis, ſed ex vi vnius tantùm partis contradictionis, nempè

quia

quia aliundè nouit, quòd omnis verus equus eſt animal, omnis verus lapis eſt ſubſtantia, non autem ex eo, quod cognouerit, quòd homo lapis connectatur cum ſubſtantiâ, vel homo equus cum animali.

II. Ob. Mathematici nòn rarò vtuntur argumento ab hypotheſi impoſſibili, & eodem vſus eſt contra Græcos Ioannes Theologus in Concilio Florentino; ergò argumentari ab impoſſibili eſt vtile.

Reſp. Conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequentiã; eſt vtile per accidens, concedo; per ſe, nego. Fit aliquandò, vt aliquis affirmet aliquam veritatem, & ſimul neget alias veritates re *ipsâ* conuertibiles cum eâ, quam affirmat, quia talem conuertibilitatem veritatum ad inuicem ignorat; ſic Græci in Concilio Florentino affirmabant Spiritum Sanctum diſtingui à Filio, & ſimul negabant procedere à Filio, quia ignorabant hanc veritatem, *procedi à Filio* eſſe conuertibilem cum illa *diſtinguitur à Filio*, propterea Ioannes Theologus ſubiungens illam minorem, *ſi non procederet à Filio, non diſtingueretur ab ipſo*, concluſit deindè *ergò procedit*, & conuicit Græcos. In his & ſimilibus caſibus per accidens redditur vtilis talis argumentatio, ideſt ſuppoſito errore & ignorantiâ aduerſariorum; ſi enim aduerſarij non

igno-

ignorarent eſſe impoſsibile id, quod præſupponitur, iure merito dicerent ex tali præſuppoſito impoſsibili æquè ſequi oppoſitam contradictionis partem, & ſic Græci dixiſſent, ſequi etiam, quòd diſtingueretur à Filio, & ità nihil determinatum & vtile fuiſſet concluſum ex illa hypotheſi; quarè ſi quis ex hypotheſi ĩpos ſibili vobiſcum argumentari voluerit, conſultum eſt negare ſuppoſitum, ne tempus & otium teratur.

Ex dictis liquet, reductionem ſyllogiſmi per impoſsibile non eſſe per ſe vtilẽ, quia in eo nihil, niſi falſum, concluditur, iuxtà id, quod ait Ariſtoteles Lib. 1. Prior. Cap. 23. *Qui per impoſſibile concludunt, falſum quidem ſyllogizant.*

Ad clariorem huius rei notitiam aduertite, ſyllogiſmos in quatuor primis modis primæ figuræ dici & eſſe perfectos, quia in ipſis bonitas conſequentiæ ità euidens eſt, vt ſit omninò per ſe innegabilis: in alijs verò modis & eiuſdem primæ & aliarum figurarum, ſyllogiſmi ſunt imperfecti, quia licet in ipſis legitima ſit conſequentia, tamen cum per ſe euidens & clara non ſit, poteſt ab aliquo dialecticæ minùs perito negari, propterea Ariſtoteles loco cit. Cap. 22. docet ſyllogiſmos huiuſmodi reducendos eſſe ad prædictos quatuor modos perfectos.

ctos, *Qui in his figuris ſunt ſyllogiſmi perfi-ciuntur per eos, qui in prima figura ſunt vni-uerſales, ſyllogiſmos, & in hos reducuntur*.

Reductio duplex eſt, alia per oſtenſionem, & alia per impoſſibile. Per oſtenſionem fit, cum aliqua propoſitio conuertitur, aut trãſponitur, ità vt mutuò altera loco alterius collocetur. In hac reductione modi incipientes per B reducuntur ad *Barbara*, per C ad *Celarent*, per D ad *Darij*, per F ad *Ferio*.

Vt autem ſciatis, quænam propoſitio ſit conuertenda, & quomodo tota reductionis ratio tractanda ſit, notate has litteras, S, P, M, C, hoc carmine contentas.

S vult ſimpliciter verti: P verò per acci.
M vult tranſponi: C per impoſſibile duci.

Significatur autem, quòd vocalis antecedens litteram S conuertenda eſt ſimpliciter: e. g. vt *Ceſare* reducatur ad *Celarent*, conuertatur ſimpliciter prima vocalis E. & erit reductus ſyllogiſmus ad *Celarent*: in *Datiſi* conuertatur ſimpliciter ſecunda, & erit reductus ad *Darij*: in *Feriſon* conuertatur ſimpliciter ſecunda, & erit reductus ád *Ferio*. P ſignificat vocalem antecedentem eſſe conuertendam per accidens: e. g. in *Baralipton* conuertatur per accidens concluſio, & erit reductus ad *Barbara*. *M* ſignificat vocalem antecedentem eſſe traſponendam: e. g.

e.g. in *Fapeſmo* ſecũda nõ ſolùm eſt cõuertenda ſimpliciter, ſed transponenda in locum maioris. Factâ ergò conuerſione, & cum opus fuerit, tranſpoſitione propoſitionum, habetur reductio per oſtenſionẽ.

Reductio per impoſſibile fit in modis, in quibus eſt littera *C* intermedia, vt ſunt *Barocco*, & *Broccardo*, & hoc ſignificat particula præcitati carminis *C per impoſſibile duci.* Fit autem cum ab aduerſario conceſſis duabus præmiſſis, & negatâ conſequentiâ in modo imperfecto, accipitur contradictoria concluſionis negatæ, & coniungitur cum vnâ ex præmiſſis iam conceſſis, deduciturquè conſequentia contradictoria alteri propoſitioni ab illo conceſsæ, atquè ità cogitur aduerſarius ad concedenda duo contradictoria, ideſt, aliquod impoſſibile: e. g. ſit ſyllogiſmus in *Barocco*

Omnis homo eſt rationalis,
Aliquod viuens non eſt rationale; ergò
Aliquod viuens non eſt homo.

Si conceſſis præmiſſis neget aduerſarius conſequentiam, ſumatur contradictoria ipſius, quæ eſt *omne viuens eſt homo*, & dicatur ſic:

Omnis homo eſt rationalis,
Omne viuens eſt homo; ergò
Omne viuens eſt rationale.

Quæ conſequentia eſt contradictoria illius

illius minoris in *Barocco* conceſsæ *Aliquod viuens non eſt rationale.*

Hæc reductio licet facienda ſit in *Barocco*, & *Brocardo*, fieri etiam in omnibus alijs modis poteſt, ſeruatis tamen regulis, quæ ſequuntur.

In prima figura contradictoria conſequentiæ negatæ fiat maior; quæ verò fuerat maior fiat minor. Excipitur ab hac regula *Celantes*, in quo, quæ fuerat minor, facienda eſt maior, contradictoria verò conſequentiæ negatæ facienda eſt minor. Hoc totum his carminibus exprimitur.

Maiorem oppoſitum pellit, maiorque minorem.
Excipe Celantes, *in quo minor antè locanda eſt.*

In ſecunda figura maior prioris ſyllogiſmi manebit eodem loco, & contradictoria conſequentiæ negatæ fiet minor. Hoc totum ſequens carmen declarat.

Stat maior, trahit oppoſitum de ſede minorē.

In tertia figura minor manet eodem loco, & contradictoria conſequentiæ negatæ fit maior. Hoc totum ſequenti carmine exprimitur.

Stat minor: oppoſitum tranſit maioris in ædē.

Hæc ad formanda tyronum ingenia in rationali diſciplina, quod vnum in votis habeo, dixiſſe ſufficiat.

FINIS

2550387A

Digitized by Google

2.6.183